# EXAMEN THEOLOGICUM SUPER REGULIS OCTO

Ex *Inſtructione* R. Adm. D. Petri van Buſcum, &c. Et hujus ab eodem *Defenſione*.

*AUTHORE*

F. FRANCISCO BONÆ SPEI,

*Provinciæ Flandro-Belgicæ Ord. FF. B. M. V. de Monte Carmelo bis Provinciali, ac S. T. Profeſſore emerito.*

6

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



BRUXELLÆ,

Typis HENRICI FRICX, ad inſigne Typographiæ. M.DC.LXXII.

*Cum gratia & Privilegio.*

# AD LECTOREM.

L*Ibelli duo R. Adm. D.* PETRI VAN BUSCUM. *&c. quorum uni titulus*, Inſtructio ad Tyronem Theologum de Methodo Theologica octo Regulis perſtricta. *Alteri verò*, Defenſio PETRI VAN BUSCUM S. T. L. Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis Gand. Canonici Pœnitentiarii, adverſus ea, quæ P. ÆGIDIUS ESTRIX, Societatis Jeſu, S. T. Lovanii Profeſſor, in libro à ſe edito, cui titulus; *DIATRIBA SCHOLASTICA*, &c. opponit Inſtructioni ad Tyronem Theologum *Mihi ad* Examen *in fine Martii 1672. tranſmiſſi ſunt: parui, & examinavi, ſecutus D. Auguſtini* de dono perſev. cap. 16. *monitum:* Dicatur ergò verum, maximè ubi aliqua quæſtio, ut dicatur, impellit, & capiant, qui poſſunt, nè fortè, cùm tacetur propter eos, qui capere non poſſunt, non ſolùm veritate fraudentur, verumetiam falſitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falſitas, poſſunt. *Tu igitur* Examen noſtrum, *uti illud Divi Auguſtini monitum, æqui bonique conſulas: Ubi tamen aliquid* hæreticum *dico, id ſemper in rigore accipi nolo, ſed interdum pro repugnante propoſitioni ex Scriptura, Traditione, aut decreto fidei, per legitimam conſequentiam deductæ. Et advertas, velim, me nihil movere ex dente, ſed totum de fide, ideoque me quaſi dubium ubique Authoris mentem quærere, & ad meas* Quæſtiones *præſtolari, non mera ſcommata, prout aliàs ex Antipapiſtia à quodam* Regularum *Patrono emiſſa; ſed ab Orthodoxo cathegorica ad ſingulas Reſponſa; ut* Examini *meas conſtantiores ſubdam Reſolutiones. Interea* Examen *illud meaque omnia S. Romanæ Eccleſiæ correctioni & cenſuræ humiliter ac reverenter ſubjicio.*

---

## APPROBATIO *CENSORIS ORDINARII.*

INfraſcriptus EXAMEN THEOLOGICUM ſuper *Regulis octo R. Adm. D. Petri van Buſcum ad Tyronem Theologum*, à R. Adm. P. FRANCISCO BONÆ SPEI, *Ord. FF. B. M. V. de Monte Carmelo Provinciæ Flandro-Belgicæ bis Provinciali* confectum, attentè legi, Virorum etiam doctorum audivi judicia; & quia ſubtiliter in multas congruaſque *Quæſtiones* eſt diſtributum, & aliunde nihil fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium continere deprehendi, utiliter & cum fructu quamprimùm in lucem edetur. Datum Lovanii 3. Maii 1672.

NICOLAUS DU BOIS *Theologus & Iuriſconſultus, Sacrarum litterarum in Univerſitate Lovanienſi Regius & Primarius Profeſſor, Cathedralis Brugenſis & Divi Petri Lovanii Eccleſiarum Canonicus, Librorum Cenſor.*

## THEOLOGORUM ORDINIS.

EXamen hoc Theologicum *ſuper Regulis octo ex Inſtructione R. Adm. D. Petri van Buſcum, & hujus ab eodem Defenſione*, à R. Adm. P. FRANCISCO BONÆ SPEI, *Provinciæ Flandro-Belgicæ Ord. FF. B. V.* MARIÆ *de Monte Carmelo bis Provinciali*, ac *S. T. Profeſſore Emerito*, enucleatum in omnibus & per omnia nititur huic regulæ Agathonis Papæ: * *Sic omnes Sanctiones Apoſtolicæ Sedis accipiendæ ſunt tamquam ipſius Divini voce Petri firmatæ*; & alteri ſimili D. Auguſtini. * *Evangelio* (& ſic de Traditionibus Divinis) *non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret authoritas*; ex quibus ipſe hujus EXAMINIS, totius ſuæ impreſſæ Theologiæ, aliorumque multorum ingenii ſui feliciter editorum partuum, principia petiit: ac proindè illud publicâ luce digniſſimum cenſemus, ut ab omnibus Sacræ ac veræ Catholicæ Theologiæ amatoribus æquâ, & abſque præjudiciis indeterminatâ, lance libretur. Datum in Carmelo noſtro Bruxellenſi 20. Aprilis 1672.

F. JACOBUS A S. ANTONIO, *non ità pridem S. T. Profeſſor Lovanii, ejuſdem Ordinis.*
F. SEBASTIANUS A S PAULO, *S. T. Profeſſor Lovanii, ejuſdem Ordinis.*
F. MARCUS A RESURRECTIONE DOMINI, *S. T. Profeſſor Lovanii ejuſdem, Ordinis.*

* Cap. *Sic omnes*, diſt. 19. * Contra *Epiſt. fundam. cap. 5.*

---

# SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS Dei gratia Hiſpaniarum, *&c.* Rex Catholicus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, *&c.* Sereniſſimus Belgarum Princeps, *&c.* Diplomate ſuo Sanxit, nè quis præter *Henrici Fricx* Typographi Bruxellenſis voluntatem, hoc EXAMEN THEOLOGICUM in Belgio Excudat; *&c.* Uti latius patet in litteris datis 27. Maii 1672.

Signat

LOYENS.

# EXAMEN THEOLOGICVM SUPER REGULIS

## Ex *Inſtructione* Rev. Adm. D. Petri van Buſcum ad Tyronem Theologum & hujus ab eodem *Defenſione*.

## EXAMEN PRIMUM, *Super Regula* 1. *&* 2.

### D. BUSCUMIUS.

1. REgula prima. *Tyro Theologus, nè erret, aut ſeducatur, debet abſque præjudiciis indeterminatus, conſq; hærere inter partes Scholaſticorum, donec ex ipſis Theologiæ principiis convincatur de veritate.* Principia hæc aſſignantur Regula 2. quæ eſt. *Sacra Theologia à duobus tantùm principiis eſt petenda: Scripturâ ſcilicet & Traditione.*

2. Ut autem iſtæ duæ Regulæ commodiùs examinentur, addenda eſt Regula 8. quæ ſic habet: *Ea, quæ ſemel infallibiliter demonſtrata ſunt, eſſe de fide, non ſunt amplius in quæſtionem vel diſputationem revocanda; ſed ut fidei poſitiones, & dogmata, & tamquam certa Theologiæ principia in Cathalogo, aut Volumine conſervanda. Illa verò, quæ nondum infallibiliter demonſtrata ſunt, eſſe de fide, à Theologis diſputari, & probari eouſque debent, donec ab Eccleſia definiantur.* Ubi ſubdit: *Hoc ſpeciale eſt in Theologia, quod ipſius principia ab Eccleſia infallibili authoritate proponantur, definiantur, determinentur; ſic enim Chriſtus Dominus ſuam ſponſam dotavit, ut ſit columna veritatis, contra quam portæ inferi numquam prævalerent. Vtitur autem Eccleſia infallibili hac ſibi à Chriſto relicta authoritate, tàm in dubiis & quæſtionibus fidei defendendis, quàm erroribus & hæreſibus anathematizandis, tribus modis. 1. Quandò ipſa in Concilio Generali congregata definit: ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium. Nihil enim intereſt, an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcripto traditum. Hoc ſenſu Magnus Pontifex Gregorius confitebatur, quatuor primis Conciliis Generalibus non minorem deberi honorem, quàm quatuor Evangeliis*, &c. His poſitis.

# AUTHOR

## QVÆSTIO I.

3. QVæritur primò. An D. Buſcumius per *demonſtrata eſſe de fide*, ibi, juxta *modum primum* comprehendat *Definita ab Eccleſia in Concilio Generali congregata?*

4. Si affirmet: per ipſum definita ab Eccleſia in Concilio Generali congregata *ſunt tamquam certa Theologiæ principia in Cathalogo, aut volumine conſervanda*, ut docet Regula 8. Undè hæc à principiis S. Theologiæ malè excludit *Reg.* 2. per particulam *tantùm*, uti infrà videbimus.

5. Si neget, quod non credo: adferre nequit certiorem & infallibiliorem demonſtrationem, quâ demonſtrentur aliqua, *eſſe de fide*; quia de *definitionibus Eccleſiæ in Concilio Generali congregatæ* ibidem, ut vidimus, dicit: *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*: Et ſic conſequenter negare debet, dari demonſtrationem, quam *Regula* 8. aſſerit. *Ea, quæ*, &c.

## QVÆSTIO. II.

6. QUæritur ſecundò. An D. Buſcumius Regula 2. per *S. Scripturam & Traditionem* intelligat illas, prout ſunt ex Chriſti ore ab Apoſtolis expreſsè acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus expreſsè traditæ, ab Eccleſia infallibili authoritate expreſsè propoſitas, definitas, determinatas?

7. Si affirmet, prout affirmare videtur, verbis ſuprà citatis: *Hoc ſpeciale eſt in Theologia, quod ipſius principia ab Eccleſia infallibili authoritate proponantur, definiantur, determinentur.* Per *Scripturam & Traditionem* potiſſimùm intelligit *Scripturam & Traditionem* in aliquo Concilio Generali, v. g. Tridentino *ſeſſ.* 4 infallibili authoritate propoſitam, definitam, determinatam his verbis: *Perſpicienſque hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros, tàm veteris, quàm novi Teſtamenti, cùm utriuſque unus Deus ſit author, nec non traditiones ipſas, tùm ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipit, & veneratur. Sacrorum verò librorum indicem huic decreto adſcribendum cenſuit*, &c. Hôc autem datô, fallit *ad Regulam* 6. ſcribens: *Per hoc enim cognoſcimus, Scripturam eſſe Verbum Dei, quod Eccleſia per Traditionem inſtructa ſic definit, & declarat*

*clarat hos libros à Spiritu Sancto dictante eſſe conſcriptos, itaut primum & originale principium omnium eorum, quæ fide Divinâ credimus, ſit traditio.* Quia neque Concilium Generale, quod primò id definivit, fuit per Traditionem ità definitam inſtructum, neque Traditio ità definita, fuit tale principium, ut patet.

8. Neque dicere poteſt, fuiſſe priùs definitam communi Eccleſiæ conſenſu: tùm quia eſt *quæſtio facti*, in qua ad *Regulam* 7. ſcribens, etiam Concilio Generali negat infallibilitatem: tùm quia communi de infallibilitate Pontificis, quando ſolus abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit, conſenſui, qui fuit ante Gerſonem, & nonnullos alios, etiam ad *Regulam* 8. negat infallibilitatem, uti & ad *Regulam* 7. communi de immaculata conceptione D. Virginis conſenſui, qui fuit ante D. Thomam.

9. Si negèt primam partem, *prout ſunt*, &c. per *Scripturam* & *Traditionem* intelligere debet, etiam illas, quæ in expreſſis virtualiter tantùm & implicitè continentur; & ſic ejus Regula 2. *Ex duobus principiis, Scriptura ſcilicet & Traditione* fallit; quia *principia* debent eſſe clara & expreſſa, qualia illæ ut tales non ſunt.

10. Si neget ſecundam partem, *ab Eccleſia*, &c. per *Scripturam* & *Traditionem* intelligere debet nondum ab Eccleſia infallibili authoritate propoſitas, definitas, determinatas, ac ſic *quoad nos* adhuc incertas & dubias, quô datô, ipſius *Regula* 2. ſupra citata, hunc habet ſenſum: Sacra Theologia à duobus tantùm principiis eſt petenda: Scripturâ ſcilicet & Traditione, nondum ab Eccleſia infallibili authoritate propoſitis, definitis, & determinatis, quod indubiè non ſentit, cum Sacræ Theologiæ principia debeant eſſe certa & infallibilia, etiam per ipſum, ut patet ex verbis ejus *n.* 1. citatis, & foret erroneum contra Toletanum 1. *Can.* 21. infrà *n.* 17. & Tridentinum *Seſ.* 4. *n.* 59. Lirinenſem *n.* 83. & Auguſtinum *n.* 21. 113. 114. commodiùs citatos.

## QVÆSTIO III.

11. QVæritur tertiò. An ſi D. Buſcumius Regula 2. *Scripturam & Traditionem* intelligat *ab Eccleſia infallibili authoritate expreſſè propoſitas, definitas, determinatas*, velit propoſitionem, definitionem, determinationem, quâ ab Eccleſia infallibili authoritate proponuntur, definiuntur, determinantur, eſſe *Scripturam & Traditionem* ad quæſtionis 2. ſenſum, *prout ſunt ex Chriſti ore ab Apoſtolis expreſſè accepta, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus expreſſè tradita?*

12. Si affirmet: neceſſe eſt, conſequenter affirmet, *omnia Conciliorum & Pontificum Decreta, Sanctorum Patrum & antiquorum libros*, contenta obſcurè, implicitè, & indeterminatè in *Scriptura & Traditione* explicantia, definientia, determinantia, eſſe quoad hanc ſuam *explicationem, definitionem, determinationem* ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis expreſſè accepta, aut ab Apoſto-



lis,

lis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus expreſsè tradita, prout affirmare videtur ad *Regulam* 6. ſcribens: *Vndè doctrina Conciliorum & Patrum non eſt ipſorum, ſed Apoſtolorum & Chriſti, à quibus illam per traditionem acceperunt*; quia hæc ipſorum doctrina in iſta *explicatione*, *definitione*, *determinatione*, quæ ante, tempore Chriſti & Apoſtolorum, à Chriſto & Apoſtolis expreſsè non erat, conſiſtit: hoc autem verum eſſe non poteſt, niſi ex hoc principio, *qui per Vicarum facit, per ſe facere cenſetur.* Sed cum eam neget *ad Regulam* 8. Chriſti Vicario ut tali ſoli, qualis eſt ſolus, definienti, uti Chriſtus ſolus definivit, ipſi non ſervit.

13. Affirmat autem illa quoad ſuam obſcurè, implicitè, & indeterminatè in Scriptura & Traditione contentorum *explicationem*, *definitionem & determinationem* eſſe ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis expreſsè accepta, aut ab Apoſtolis, Spiritu Sanctô dictante, expreſsè tradita: aut negat?

14. Si priùs: iſta illorum *explicatio, definitio, & determinatio* obſcurè, implicitè, & indeterminatè in *Scriptura & Traditione* contentorum clara & expreſſa, non eſt clara & expreſſa illorum Conciliorum & Patrum doctrina; ſed clara & expreſſa Apoſtolorum & Chriſti, à quibus illam per traditionem claram & expreſſam acceperunt: quia autem fruſtra ſunt *Conciliorum & Pontificum decreta*, fruſtra *Sanctorum & antiquorum libri*, pro clara & expreſſa Chriſti & Apoſtolorum doctrina, ſequitur, omnes *Conciliorum & Pontificum, Sanctorum & antiquorum librorum* de contentis, etiam obſcurè, implicitè, & indeterminatè in *Scriptura & Traditione*, explicationes, definitiones, & determinationes claras & expreſſas eſſe tàm inutiles & fruſtraneas, quàm doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum claræ & expreſſæ doctrinam Conciliorum, &c. claram & expreſſam; ac per conſequens omnia Conciliorum & Pontificum decreta, omneſque Sanctorum Patrum & antiquorum libros, utpotè ſolas explicationes, definitiones & determinationes claras, & expreſſas continentes non ſuas, explodi debere ut inutilia & fruſtranea, quod ſoli aſſerunt hæretici manifeſti.

15. Si poſteriùs: accipe reſponſum ſequens, ſimul pro altera parte Reſponſi ad *q* 3. *n.* 11.

16. Si neget: fateri debet. *Primò*: doctrinam Conciliorum & Pontificum quoad obſcurè, implicitè & indeterminatè in Scriptura & Traditione contentorum *expreſsionem, explicationem, definitionem & determinationem* non eſſe Chriſti & Apoſtolorum, ſed ipſorum ſub infallibili, nè errarent, Spiritûs Sancti aſſiſtentia; neque hoc abſque dicta hæreſi negari poſſe. *Secundò*: Regulam ſuam 2. *Sacra Theolog a à duobus tantùm principiis eſt petenda, Scripturâ ſcilicet & Traditione*, quatenùs per particulam *tantùm* à S. Theologiæ *principiis* excludit Conciliorum & Pontificum obſcurè, implicitè & indeterminatè in *Scriptura & Traditione* contentorum *expreſsiones*, *explicationes*, *definitiones*, & *determinationes claras & expreſſas* (cum hæ magis ſint S. Theologiæ *principia*, quàm in *Scriptura & Traditione* obſcure, implicitè & indeterminatè contenta)

ta) eſſe hæreticam, haud ſecùs quàm hanc: *Fides Catholica à duobus tantùm principiis eſt petenda, Scripturâ ſcilicet & Traditione; non verò à Conciliorum & Pontificum fidei Decretis & Canonibus Sacris.*

17. Ratio eſt: quia Concilium 1. Toletanum *Can.* 21. *in aſſert. Catholicæ fidei* ſic definit: *Si quis dixerit, vel crediderit alias Scripturas* (idem eſt de *Traditionibus divinis* ex Trid. ſeſ. 4.) *præter eas, quas Catholica Eccleſia recipit, vel in authoritate habendas eſſe crediderit, vel fuerit veneratus, anathema ſit.* Undè meritò in parvo Catechiſmo Caniſii fides definitur: *Donum Dei, ac lumen, quô illuſtratus homo firmiter aſſentitur iis, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam* (nota) *credenda propoſuit, ſive ſcripta ſint, ſive non ſint*; Ergo addi debet *Eccleſiæ propoſitio*, tamquam *tertium* à nobis credendorum ac S. Theologiæ *principium.*

18. Nec dicere poteſt: ſe à Regula 2. iſta non excludere; ſed, cum ad *Regulam* 2. expreſsè ſcribat. *Peti autem debet traditio ex Conciliorum & Pontificum decretis, & Sanctorum Patrum & antiquorum libris*, ſe velle *Traditionem* (de qua ibi: *Per* Traditionem *ſimiliter per excellentiam intelligitur* traditio Divina, *quæ eſt Verbum Dei non ſcriptum, & continet ſub ſe omne illud, quod Deus revelavit, & de manu ad manum ad nos uſque pervenit, abſque eo, quod à Spiritu Sancto dictante ſcriptum ſit*) illa in ſe continere. Quia hoc imprimis eſt falſum: ſiquidem illa, prout eſt *Verbum Dei non ſcriptum*, fuit Chriſti ore ab Apoſtolis clarè & expreſsè acceptum, aut aliòqui ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus clarè & expreſsè traditum Verbum Dei ſcriptum, quod ab illis acceptum firmâ fide tenemus: Conciliorum verò & Pontificum decreta, quoad ſuam de obſcurè, implicitè & indeterminatè in *Scriptura & Traditione iſta* contentis *claram expreſſionem*, fuiſſe Chriſti ore ab Apoſtolis clarè & expreſsè accepta, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus clarè & expreſsè tradita, ex conſequenti hæreticum eſt, ut ſuprà oſtendi *n.* 14. & 16.

19. Deindè dicens: *Peti autem debet Traditio ex conciliorum & Pontificum decretis, & ſanctorum Patrum & antiquorum libris*: aut vult, hæc eſſe ipſius Traditionis, de qua ex ipſo ante, *principium*, aut *Traditionem* eſſe horum principium?

20. Si priùs: illa, cum ſint, ipsô ſic volente, ipſius Traditionis principium, debuiſſent *Regula* 2. loco Traditionis poni, aut ſaltèm pro tertio principio aſſignari: quomodò tamen id dicere poſſit, non ſatis apparet, cum ad *Regulam* 6. ſcribat: *Per hoc enim cognoſcimus, Scripturam eſſe Verbum Dei, quia Eccleſia per Traditionem inſtructa ſic definit, & declarat hos libros à Spiritu Sanctô dictante eſſe conſcriptos, ità ut primum & originale principium omnium eorum, quæ fide divinâ credimus, ſit Traditio*, utique prior definitione, quâ Eccleſia per illam inſtructa ſic definit, & declarat hos libros à Spiritu Sanctô dictante eſſe conſcriptos; alioqui falleret, quod addit, *itaut primum & originale principium omnium eorum, quæ fide divinâ credimus, ſit traditio.* Et erroneam redderet ad hanc quæſtionem, *undè habet Eccleſia, quæ nobis credenda proponit*, libelli

belli Catechiſtici Mechlinienſis, quem in ſua defenſione pag. 16. pro ſe citat, Reſponſionem: *Ex Theſauris, quos Deus ipſi largitus eſt, nimirùm Scripturâ & Traditione.* Nam ſenſus eſſet, *ex ſuorum Conciliorum & Pontificum decretis,* ſive à *ſeipſa*, quod eſt erroneum.

21. Si poſteriùs: conſequenter quidem loquitur; ſed fateri debet illa duo, de quibus ſupra *n.* 16. §. *Si neget.* Quarè multum diſtinguere debet hanc quæſtionem Catechiſmi Mechlinienſis: *Vndè habet Eccleſia, quæ nobis credenda proponit*, ab hac: *Vndè habemus de fide, quæ Eccleſia nobis credenda proponit:* Non enim huic, uti illi, ſufficienter reſpondemus, *Ex Theſauris, quos Deus ipſe largitus eſt, nimirùm Scripturâ & Apoſtolicâ Traditione;* Quia has non haberemus *quoad nos* de fide, niſi Eccleſia illas fide divinâ credendas proponeret, ut patet ex Toletano *n.* 17. citato, cui conſonant Auguſtinus *ſerm.* 129. de tempore. *Si quis aliquas Scripturas* (idem eſt de Traditionibus Divinis) *præter eas, quas Catholica Eccleſia recepit, vel in authoritate habendas eſſe crediderit, vel fuerit veneratus, anathema ſit.*

## *QVÆSTIO IV.*

22. QVæritur quartò. An D. Buſcumius ad *Regulam* 8. ſcribens: *Sunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium. Nihil enim intereſt, an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcripto traditum*, intelligat de Verbo Dei expreſsè ſcripto *illa Scripturâ*, de qua ad Regulam 2. *Per* Scripturam, *ea ſola deſignatur, quæ à Spiritu Sancto dictante conſcripta eſt; quæ dicitur Scriptura per excellentiam:* aut de Verbo ſine ſcripto expreſsè tradito *illâ Traditione*, de qua ibid. *Per* Traditionem *ſimiliter per excellentiam intelligitur Traditio Divina, quæ eſt Verbum Dei non ſcriptum, & continet ſub ſe omne illud, quod Deus revelavit, & de manu ad manum ad nos uſque pervenit, abſque eo, quod à Spiritu Sancto dictante ſcriptum ſit.* Ita ut velit, illas Definitiones eſſe Verbum Dei expreſsè ſcriptum tali *Scripturâ*, aut expreſsè traditum tali *Traditione*?

23. Si hoc velit: incidit in omnes difficultates *n.* 12. *ad* 22. allatas. Nec ipſi favet Tridentinum *ſeſ.* 4. *in decreto de Canonicis Scripturis* de ipſa Synodo aiens: *Hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur: quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei Filius, proprio ore primùm promulgavit; deindè per ſuos Apoſtolos, tamquam fontem omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ,* omni creaturæ prædicari juſſit: *perſpiciensque hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis & ſine ſcripto Traditionibus.* Quia non dicit, *perſpiciensque hanc veritatem & diſciplinam* expreſsè *contineri in libris ſcriptis & ſine ſcripto Traditionibus.* Cur autem id non dicat

24. Ratio eſt: quia, cum Concilium Generale v.g. ſit ex *Scripturâ & Traditione* judex controverſiarum fidei de obſcurè, implicitè & indeterminatè in *Scriptura & Traditione* contentis, ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentia, ipſi ſufficit eam implicitè contineri in illis, ac ſic eſſe implicitam

*Scrip-*

*Scripturam & Traditionem*: ècontra verò, cum Tyro Theologus, quem D. Buſcumius ſuâ *Reg.*2. inſtruit, non ſit talis Judex, nec *Scriptura & Traditio* ſint ab ipſo fide Divina, ſaltèm ab Eccleſia definita, tenendæ, priuſquam à tali *Judice* fide Divinâ credendæ, ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentia, ~~dicæ~~ proponantur, definiantur, determinentur; non ſolùm implicita *Scriptura & Traditio* non poteſt ipſi, abſque iſta *propoſitione, definitione, determinatione*, eſſe *S. Theologiæ principium*; quia hoc debet ipſi eſſe certum, clarum & expreſſum, quale ipſi ut ſic non ſunt: ſed nec clara & expreſſa *Scriptura & Traditio*, ſine iſta *propoſitione, definitione, determinatione* ſunt fide divinâ ab Eccleſia definita credendæ; quia aliundè ipſi certæ, & fide Divinâ ab Eccleſia definitâ credendæ eſſe non poſſunt.

25. Undè fallitur, & omnes contra ſe præmiſſas difficultates confirmat D. Buſcumius in ſua *Defenſione pag.* 17. ſcribens: *Quod ſi fides noſtra ab his duobus tantùm principiis petenda ſit, Scripturâ ſcilicet & Traditionibus, poteritnè S. Theologia, quæ eſt doctrina fidei, aliundè peti?* Quia non diſtinguit inter *fidem à Tyrone Theologo fallibili ab iſtis duobus tantùm principiis petendam* & *fidem à primo omnium poſt S. Petrum Iudice fidei controverſiarum infallibili ab iſtis duobus tantùm principiis petendam*, quæ valdè diſtinguenda, ut vidimus. Dixi *primo*; quia poſterior etiam debet illam petere à prædeceſſorum ſuorum fidei definitionibus; ergò à fortiori Tyro Theologus.

26. Ac proindè ad hanc interrogationem, quam ſubdit: *Et qui negativum aſſerit, dicenduſnè erit, Pontificiam authoritatem ipſamq; Eccleſiam vilipendere?*

27. Reſpondeo negativè; Si velit, S. Theologiam à primo omnium poſt Petrum Judice fidei controverſiarum, quem Regula ſua inſtruere non præſumit, ut puto, aliundè peti non poſſe, quàm à *Scriptura & Traditione*, prout ſunt ex Chriſti ore ab Apoſtolis expreſsè acceptæ, aut ab Apoſtolis Spiritu Sanctê dictante, quaſi per manus ſive ſcripto expreſsè traditæ, cum nec Prædeceſſores poſt Petrum habeat, nec Prædeceſſorum ſuorum in Cathedra S. Petri fidei definitiones, quas etiam ſequi poſſit, & debeat, ullatenùs præſupponat. Affirmativè autem: Si velit à dicto Tyrone Theologo, quem Regula ſua inſtruere prætendit, aliundè peti non poſſe, aut non debere, quàm à *Scripturâ & Traditione*, prout ſunt ex Chriſti ore, &c. quia hodiè, multorum ſaltèm Conciliorum Generalium legitimorum, fidei definitiones præſupponit, quas ſequi poſſit, & debeat.

28. Verum quidem eſt, quod *Scriptura & Traditio*, prout ſunt &c. ut ſuprà, in ſe ſemper ſint S. Theologiæ principium infallibile; ſed non obindè cuilibet ex illis hoc vel illud implicitè & obſcurè contentum per conſequentiam deducenti ſunt principium infallibile, cum quilibet deducens non habeat infallibilem, nè deducendo erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiam ſibi promiſſam, ſed ſolus fidei controverſiarum Judex legitimus; ac proindè non Tyro Theologus, nec etiam quivis alius Doctor Eximius: ideoque

Regu-

Regula 2. denegans, quantùm ſonat, & apparet ex terminis ab eo ibi explicatis, Tyroni Theologo aliud S. Theologiæ principium, præter *Scripturam & Traditionem*, prout ſunt, &c. ut ſuprà, ipſum æquiparat iſti Judici, facitque, aut facere debet ipſum fidei controverſiarum Judicem infallibilem, & negare, alterum earum Judicem infallibilem eſſe ipſi neceſſarium, quod eſt omninò Lutheranum & Calviniſticum: ſicque non ſolùm cum Lutheranis & Calviniſtis authoritatem Pontificiam, ipſamque Eccleſiam vilipendit, ſed evertit: idemque conſequenter dicendum de aliis ſeptem ejus Regulis, uti ex decurſu patebit.

29. Nec dicere poteſt: ſe per Scripturam & Traditionem non intelligere illam, *prout eſt ex Chriſti ore ab Apoſtolis expreſſè accepta, aut ab Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus ſine ſcripto expreſſè tradita, ſed prout ab Eccleſia infallibili authoritate expreſſe propoſita, definita, determinata.* Quia agit de Traditione, quæ quidem *peti, aut cognoſci debeat ex Conciliorum & Pontificum decretis, & SS. Patrum, & antiquorum libris*; ſed quæ, *ut primum & originale principium omnium eorum*, etiam S. Scripturæ & iſtorum decretorum ac librorum, *quæ divinâ fide credimus*, præcedere debeat, ut vidimus *n.* 17. Item de illa, prout eſt *Verbum Dei* ut tale, ſive ſine addito *ut Conciliorum, & Pontificum decretis, & SS. Patrum, & antiquorum libris propoſitum, definitum, determinatum*, ut patet ex ejus *inſtructione* ad Regulam 2 *per Traditionem ſimiliter per excellentiam intelligitur Traditio Divina, quæ eſt Verbum Dei non ſcriptum, & continet ſub ſe* (non dicit ſuprà ſe) *quidquid Deus revelavit* &c. *In eo ergo Scriptura & Traditio conveniunt, quod utraque ſit Verbum Dei.* Traditioni autem, prout ab Eccleſia infallibili aurhotitate expreſſè propoſitæ, definitæ, determinatæ, alterutrum iſtorum non magis convenit, quam Eccleſiæ propoſitioni, definitioni determinationi, ut tali. Vide dicta à 14. *ad* 22.

## QUÆSTIO V.

30. **Q**Væritur quinto. An D. Buſcumius in ſua *Defenſione pag.* 49. ſcribens: *Deinde; Petrum Lombardum fuiſſe quidem Theologiæ Scholaſticæ primipilum, ſed etiam Theologiam ſuam collegiſſe, & ordinaſſe ex primis Theologiæ principiis, Scripturâ ſcilicet & Traditione, hoc eſt ex ſententiis deſumptis ex Scriptura, Pontificibus, Conciliis & SS. Patribus*: intendat, hôc ſenſu Regulam 2. & ſic proportionaliter de aliis, exponere. *S. Theologia à duobus tantùm principiis petenda eſt, Scripturâ ſcilicet & Traditione: hoc eſt ex ſententiis deſumptis ex Sriptura, Pontificibus, conciliis & SS. Patribus?*

31. Si affirmet: Per ipſum ſententiæ deſumptæ ex Pontificibus, Conciliis & Sanctis Patribus ſunt *Traditio*, de qua in Regulis ſuæ *Inſtructionis ad Tyronem Theologum*: hoc autem falſum videtur ex præmiſſis à *n.* 16. *ad.* 25. ubi ſic *Scripturam & Traditionem* accipit, ut velit eſſe duo tantùm principia ſententiarum Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, totiuſque fidei noſtræ

ſtræ: principium autem, etiam per ipſum ſuo principiato præſupponitur, uti evidenter ſequitur ex his ejuſdem verbis *Inſtructionis ſuæ* pag. 21. *Per hoc enim cognoſcimus, Scripturam eſſe verbum Dei; quia Eccleſia per Traditionem* (nota non igitur per Pontificum, Conciliorum, & SS. Patrum ſetentias; quia hæ ſunt, quæ per Traditionem inſtruuntur) *Inſtructa ſic definit, & declarat hos libros à Spiritu Sancto dictante eſſe conſcriptos: itaut primum & originale principium omnium eorum* (ergo & illarum ſententiarum) *quæ fide divinâ credimus, ſit Traditio.*

32. Si neget: Ipſi præmiſſis ſatisfacere incumbit; quibus commodè ſatiſfaceret, ſi Traditionem non explicuiſſet, uti explicuiſſe oſtendimus, aut his verbis, *Scriptura ſcilicet & Traditio*, addidiſſet (cum Tyroni Theologo Regulas præſcriberet) *conformiter Conciliorum & Pontificum fidei decretis*, aut, quod per me coincidit, *Scriptura ſcilicet & Ecclſia Catholica Traditio*, juxta illud Vincentii Lyrinenſis in ſuo *adverſus prophanas omnium hæreſeon novationes* libello aureo: *Quod, ſive ego, ſive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam, Domino adjuvante, deberet. Primo ſcilicet divinæ legis authoritate, tùm deinde Eccleſiæ Catholicæ Traditione.* Vide cætera infrà *n.*83.& latiùs *n.* 78. *ad* 86.

## *QUÆSTIO. VI.*

33. Quæritur ſextò. An D. Buſcumius, ortâ inter Doctores controverſiâ: *Vtrum acta ſub nomine Matthiæ, Iacobi Minoris, Andreæ &c. ſint verè Scriptura Sacra, & vera ſit Traditio de illis ut verè Scriptura Sacra*, velit, ut ab Eccleſia infallibili authoritate proponantur, definiantur, determinentur, *propoſitionem, definitionem, determinationem* illius *à duobus tantùm principiis eſſe petendam, Scriptura ſcilicet & Traditione* ad ſenſum *quæſtionis* 2. & 3.

34. Si velit: velle debet, illam ab Eccleſia infallibili authoritate *propoſitionem, definitionem, determinationem*, contineri *Scriptura & Traditione* dicto ibi ſenſu ſumptis, & ex illis tamquam principiis ſuis per bonam conſequentiam deduci, juxta id, quod pro ratione ſuæ Regulæ 2. adfert: *Theologia autem definitur*, doctrina Sacra, quæ ex principiis revelatis deducitur *Principia autem revelata ſunt Scriptura & Traditio; omne enim, quod Deus hominibus revelavit, & ad credendum omnibus propoſuit, continetur Scripturâ & Traditione, & ex illis tamquam principiis ſuis per bonam conſequentiam deducitur Theologia.* Eſt autem eadem ratio de dicta *ab Eccleſia*, infallibili authoritate, *propoſitione, definitione, determinatione*, ſi ut vult, ſit, uti Sacra Theologia, *à duobus tantùm principiis petenda, Scripturâ ſcilicet & Traditione.* Poſſe autem pro allato caſu aſſignari *Scripturam & Traditionem* ſenſu ibi datô ſumptas, ex quibus tamquam principiis ſuis per bonam conſequentiam deducatur dicta *propoſitio, definitio, determinatio*, diffiteor: neque id neceſſe puto, cum ſufficiat,

B hanc

hanc deduci ex teſtimoniis Sapientum fundatis in Scripturæ & Traditioni implicitis, & hôc ſenſu ex *Scriptura & Traditione*. Alioqui plurimæ contingere poſſent fidei, controverſiæ ad quas decidendas judice competenti careret Eccleſia, ut v.g. An concilium Generale tot vel tot Epiſcopis conſtare debeat, ut ſit legitimum? An ſi Summus Pontifex velit in Concilio Generali aliquam fidei controverſiam definire, debeat potiùs ſequi partem ſeniorum minorem, quàm juniorum majorem? An in æqualitate ſuffragiorum, ſuo in altera parte comprehenſo, pro ſua parte decidere poſſit? An contritio remiſſa ex charitate remiſſi peccatum mortale extra Sacramentum remittat, ſit illa, quam tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. vocat *charitate perfectam*? & ſic de plurimis aliis, quod valdè abſurdum foret, & contra Scripturam 1. *ad Timoth.* 3. ubi Eccleſia Dei dicitur: *Columna & firmamentum veritatis*.

35. Sed maximè: quia D. Buſcumius ad *Regulam* 8. ſcribens: *Tertio modo utitur Eccleſia ſua infallibilitate quandò communi conſenſu approbat Pontificum decreta, definitiones, deciſiones in materia fidei: Item in generali approbat Traditionem contineri in libris & ſenſis Sanctorum Patrum, & in particulari in Symbolo Athanaſii contineri fidem Sanctiſſimæ Trinitatis, & in libris S. Auguſtini Traditionem de gratia & prædeſtinatione,* aliter probare non poteſt, iſtam communi ſenſu approbationem in ſe vel objecto contineri Scripturâ vel approbatione, quàm conſenſum illum deducendo ex teſtimoniis ſapientum fundatis in *Scriptura & Traditioni* implicitis, in quibus, nec communis ille conſenſus, nec iſta ſapientum teſtimonia, præciſa à conſenſu Concilii Generalis legitimi, aut Summi Pontificis ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate definientis, habent ſibi promiſſam infallibilem Spiritûs ſancti aſſiſtentiam, aut fidei ab Eccleſia propoſitæ, definitæ, determinatæ infallibilitatem, quam habent Conciliorum Generalium legitimorum, aut Pontificum tales fidei propoſitiones, definitiones, determinationes ante dictam communi conſenſu à ſe diſtincto approbationem, uti *Exam.* 4. *&* 5. probabimus.

36. Si nolit, prout ex ſtatim præmiſſis nolle debet: falſa eſt Regula 2. eò quòd per ly *tantùm* à S. Theologiæ principiis excludat Eccleſiæ infallibili authoritate *definitiones*, non neceſſariò petendas à *Scriptura & Traditione* ipſius ſenſu ſumptis.

## QVÆSTIO. VII.

37. QVæritur ſeptimò. An omnis Tyro Theologus, & ſic illiterati quicumque, juvenes & ſenes, *nè errent, aut ſeducantur, debeant abſque præjudicio indeterminati conſque hærere inter partes Scholaſticorum, donec veritas ex Scriptura & Traditione* ad ſenſum *quæſtionis* 2. *n.* 3. *tamquam principiis per bonam conſequentiam deducatur, & de ſic deducta convincatur?*

38. Si affirmet: caſu quô, una pars Scholaſticorum cum Lutheranis & Calvi-

Calviniſtis doceat, *Concilium Generale in ſua fidei propoſitione, definitione, determinatione errare poſſe: quia Summus Pontifex, ratione cujus illud eſſe deberet infallibile, in ſua* per ſe *fidei propoſitione, definitione errare poteſt*. Altera verò cum Orthodoxis communiter: *Concilium Generale in ſua fidei propoſitione, definitione, determinatione errare non poteſt; quia Summus Pontifex, qui illi per ſe, aut ſuos, præſidet, & conſentit, in ſua per ſe fidei propoſitione, definitione, determinatione errare non poteſt*. Non ſolùm Tyrones Theologi, & quicumque juvenes & ſenes illiterati, ſed & quique Doctores Eximii, *debebunt abſque præjudiciis partis* docentis ſecundum, *indeterminati eouſque hærere, donec veritas ex Scriptura & Traditione*, ſenſu datô ſumptis, *tanquam principiis per bonam conſequentiam deducatur, & iſti de ſic deducta convincantur veritate*, quidquid Eccleſia in Concilio Generali congregata *ſecundum* tamquam fidei proponat, definiat, determinet, niſi Eccleſia hujus dogmatis, *Summus Pontifex in ſua* per ſe *fidei propoſitione, definitione, determinatione errare non poteſt*, veritatem *ex Scriptura & Traditione*, ſenſu dictô ſumptis, *tamquam principiis per bonam conſequentiam deducat, & iſti de ſic deducta convincantur veritate*, juxta Regulam 1. & 2. in ea comprehenſam. Sed in hoc.

39. Conſentit, aut diſſentit D. Buſcumius? Si conſentiat, & dicat, prout dicit ad Regulam 8. *Alii addunt quartum modum infallibilitatis Eccleſiæ, quandò ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit: ſed quia illum non admittunt graviſſimi Pontifices & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Concilii Baſileënſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis* (putà ex Scriptura & Traditione per bonam conſequentiam, ut vidimus *n.* 34.) *eruendum præteribimus, hîc ſolùm aſſerentes ea, quæ certa ſunt, & extra omnem controverſiam*: ſentire debet, non ſolùm Tyrones Theologos, & quoſcumque juvenes & ſenes illiteratos, ſed & quoſcumque Doctores Eximios, debere, abſque præjudiciis partis docentis *ſecundum*, indeterminatos eouſque hærere, donec veritas hujus, *Concilium Generale in ſua fidei propoſitione, definitione, determinatione errare non poteſt, licet Summus Pontifex in ſua* per ſe *fidei propoſitione, definitione, determinatione errare poſſit, ex Scriptura & Traditione*, ſenſu dicto ſumptis, *tamquam principiis per bonam conſequentiam deducatur, & iſti de ſic deducta veritate convincantur*: Quæ cum nullatenùs indè poſſit deduci, & ipſi de ſic deducta convinci, uti patebit *Examine* 3. *n.* 111. *ad* 117. ſequitur indè & *Regula* 1. iſtos omnes, imò & totam Eccleſiam, ne errent, aut ſeducantur, debere omnia Concilia Generalia habere dubia, & de errore ſuſpecta; quia illud haberi debet tale, in quo quis *debet indeterminatus hærere, donec* &c. quod ibi aſſeritur, ſequela autem eſt evidenter hæretica. Si diſſentiat: *Regulæ* 1. *&* 2. in ea comprehenſæ diſſentit, ut ſequitur ex præmiſſis.

40. Si neget id, quod *n.* 37. quæritur: Regula 1. & 2. in ea comprehenſa, fallit, ſaltèm in caſibus *n.* 34. allatis, & conſequenter ſufficit, accedere Concilii Generalis, aut Summi Pontificis, modô ibi dictô, ſub infallibili Spiritûs Sancti, nè erret, aſſiſtentia, *propoſitionem, definitionem, determinationem*,

*nem*, quæ ſit tertium principium, ex quo S. Theologia peti quoque poſſit: & obindè omnis Tyro Theologus, & ſic illiterati quicumque, juvenes & ſenes, imò & Eximii Doctores, Epiſcopi & alii Prælati, nè errent, aut ſeducantur, hærere non debent, abſque præjudiciis indeterminati, inter partes Scholaſticorum, donec veritas ex Scriptura & Traditione, ſenſu allatô (quod prætendit *Regula* 2.) & ſic deducta veritate convincantur (quod etiam prætendit *Regula* 1.) cum illis ſufficere debeat tertium iſtud S. Theologiæ principium.

Fallit autem D. Buſcumius, & multùm fallitur non diſtinguens ex una parte, inter deductum ex Scriptura & Traditione per ſyllogiſmum legitimum, aut bonam conſequentiam, ut v.g. *Declina à malo: atqui furtum eſt malum: ergo declina à furto*: & ex altera, determinatum ſuper *Scriptura & Traditione*, per ſcitè juſtè & religiosè derivandis indeterminata, ut v. g. *omne malum eſt puniendum, atqui furtum grave eſt malum: ergò puniendum pœna ſuſpendii.*

D. Buſcumius prætendit *primum* dumtaxat, aut etiam *ſecundum*? Si prius: reddit omnes pœnè leges Civiles & Canonicas diſputabiles, incertas & dubias juxta *Regulam* 1. *&* 6. donec Tyro convincatur de ſic deducta, veritate, & per ipſum tales eſſe debent, omnes Eccleſiæ & Imperatorum determinationes juris naturalis & divini, Scripturæ & Traditionis, quod eſt penè totum Corpus Juris Canonici & Civilis evertere, ac omnium Conciliorum Generalium & Pontificum ex Cathedra declarationes. Si poſterius: manifeſtum eſt, quod hæ *determinationes* non ſint Scriptura & Traditio ad ſenſum, quo utramque explicat, uti hucuſque vidimus, ac ſic illud prius ex ejus Doctrina clarè ſequitur, quod execrabile videtur.

41. Adde: quocumque ex dictis ſenſu D. Buſcumius intelligat ſuam Regulam 1. *n.* 1. relatam, debere profiteri, omnes Confeſſarios *debere abſque præjudiciis indeterminatos, eouſque hærere inter partes Scholaſticorum*, docentium eſſe mortale, & docentium non eſſe mortale, *donec ex Theologiæ principiis* (duobus tantùm Scripturâ & Traditione) *convincantur de veritate* alterius partis, & ſic, aut rariſſimè abſolvere, aut ferè ſemper abſolvere mortalia ut dubia; quia pro utraque parte communiter repeniuntur Scholaſtici. Imo ex eo, quod ad Regulam 7. ait: *Hoc demonſtratur, non eſſe de fide, aut fide divina credendas Canonizationes Sanctorum: Item deciſiones & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti, defectu Scripturæ & Traditionis.* Sequitur per ipſum, *demonſtrari, peccata mortalia non eſſe mortalia*, niſi ex *Scriptura & Traditione convincantur eſſe mortalia*, quod ſummas ingerit laxitates, & vitæ libertinæ viam aperit latiſſimam.

## *QUÆSTIO. VIII.*

42. Q*Væritur octavò.* An D. Buſcumius agnoſcat fidei controverſiarum, vivum & animatum Judicem, ità à *Sriptura & Traditione* diſtinctum, ut ejus pro alterutra earum parte *propoſitio, definitio, determinatio,* tam

tam certa &infallibilis, quàm ipſum Evangelium, non debeat *per bonam, conſequentiam ex Scriptura & Traditione*, ſenſu *q.* 2. & 3 allato ſumptis, *deduci*, ſed ſufficiat eſſe Concilii Generalis legitimi, modò, *n.* 34. dictò, ſub infallibili nè erret, Spiritus ſancti aſſiſtentia?

43 Si agnoſcat, ut debet ex præmiſſis *q.* 3. illa *propoſitio*, *definitio*, *determinatio*, eſt *tertium* S. Theologiæ *principium*, & ſic per ipſum falſa eſſe debet & hæretica, non ſolùm *Regula* 2. quæ per particulam *tantùm* illud excludit, ſed & *Regula* 1. quæ *Regulam* 2. involvit.

44 Si non agnoſcat, & neget, quod non credo: negat, alium eſſe, præter *Scripturam & Traditionem*, dictô ſenſu ſumptis, fidei Controverſiarum Judicem vivum & animatum, cujus *propoſitio*, *definitio*, *determinatio* ſit tàm certa & infallibilis, quàm Evangelium, ſi illam *ex Scriptura & Traditione*, iſtô ſenſu ſumptis, *per bonam conſequentiam non deducat*, ſed ex Sapientum teſtimoniis, fundatis in Scripturæ & Traditioni implicitis, modô dictô *n.* 34. ſub infallibili, nè erret, Spiritûs ſancti aſſiſtentia: quod ex parte eſt Lutheranum & Calvinianum, aperitque portam ad omnis generis hæreſes, dicentibus, ſe obindè non *convinci de veritate* deducta *ex ipſis Theologiæ principiis*, juxta Regulam 1. *duobus tantùm*, *Scripturâ ſcilicet & Traditione*, ſenſu datô ſumptis, juxta Regulam 2. ſecundùm quam dicta *propoſitio*, *definitio*, *determinatio*, uti Sacra Theologia, *ex duobus tantùm principiis petenda eſt*, *Scriptura ſcilicet & Traditione*, ſenſu iſtô ſumptis; & addentibus, ſe alioquì, illâ non obſtante, *debere indeterminatos*, juxta Regulam 1. *eouſque hærere*, *donec ex ipſis principiis duobus tantùm*, *Scripturâ & Traditione*, ſenſu datô ſumptis, *convincantur de veritate*, ſive quod talis *definitio* ſit *per bonam conſequentiam deducta ex iſtis duobus tantùm Principiis*.

45. Quia verò ipſa etiam Concilia Generalia hujus conſequentiæ bonitatem probant rariſſimè, cuique, negando bonitatem conſequentiæ, liberum erit hærere indeterminatum, imò debebit juxta *Regulam* 1. ſuper veritate omnium Conciliorum Generalium, & per interim illa omnia tamquam dubia præterire (prout obindè D Buſcumius debet præterire modum Eccleſiæ infallibilem, de quo *n.* 34. donec bonitatem conſequentiæ *ex duobus tantùm principiis*, *Scripturâ ſcilicet & Traditione*, ſenſu datò ſumptis, efficaciter probaſſe convincant, & ipſe priùs negans de illa convincatur. *infrà*. Vide Lirinenſem *n.* 59. & Auguſt. ac D. Thomàm *n.* 113. *ad* 117.

## QUÆSTIO IX.

46. Quæritur nonò. An D. Buſcumius profiteatur, omnes præfati judicis in controverſiis fidei propoſitiones, definitiones, determinationes ex Sapientum teſtimoniis modo dicto *n.* 34. ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ factas, debere efficaciter probari, aut convincere, eſſe *ex duobus tantùm principiis*, *Scripturâ ſcilicet & Traditione*, ſenſu ſuprà

dicto

dictô ſumptis, *petitas*, & *ex illis per bonam conſequentiam deductas*, aut alioquí eſſe dubiæ & incertæ fidei?

47. Si profiteatur: profiteri debet, omnes Conciliorum Generalium in controverſiis fidei *propoſitiones, definitiones, determinationes*, efficaciter non probatas, aut non convincentes, eſſe *ex duobus tantùm principiis, Scripturâ ſcilicet & Traditione*, ſenſu ſuprà dictô ſumptis, *petitas*, & *ex illis per bonam conſequentiam deductas*, eſſe dubiæ & incertæ fidei, quod eſt hæreticum, cum indubitatæ & certæ ſint hôc ipsô, quod ſunt Concilii Generalis ex Sapientum teſtimoniis modô dictô *n.* 34. ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ.

48. Ipſe quidem non plus requirere videtur ad *Regulam* 8. ſcribens: *Vtitur autem Eccleſia infallibili ſibi à Chriſto relictâ authoritate, tàm in dubiis, & quæſtionibus fidei definiendis, quàm erroribus & hæreſibus anathematizandis, tribus modis. Primo, quandò ipſa in Concilio Generali congregata definit: ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certa & infallibiles, quàm ipſum Evangelium.* Sed cum ratione, quàm immediatè ſubdit, *nihil enim intereſt, an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcripto traditum* ad ſenſum q. 2. & 3. inſinuet (alioqui impertinens foret) Definitiones illas debere, eſſe *Verbum Dei ſcriptum, aut ſine ſcripto traditum* ad ſenſum *q.* 2. *&* 3. hôc ipsô plus requirit; ſed malè, ut vidimus *q.* 2. *&* 3. Vide inſuper infrà *n.* 71. 100. 107. *ad* 113.

49. Neque hoc facilè probabit, niſi quod præmiſſum eſt, profiteatur, aut excuſabit ſufficienter, dicens: ſe ſolùm velle illas debere, eſſe ex *Verbo Dei ſcripto, aut ſine ſcripto tradito per bonam conſequentiam deductas*, ut patet ex præmiſſis *q.* 7. & alioqui ſequeretur illas, quæ non eſſent ex *Verbo Dei ſcripto, aut ſine ſcripto* tradito, ad ſenſum *q.* 2. *&* 3. ſumptis, *per bonam conſequentiam deducta*, eſſe dubiæ & incertæ fidei, licèt forent ab Eccleſia in Concilio Generali congregata, ex doctrina & conſenſione Sanctorum Patrum, ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ; quod rationi evidenter repugnat, nullus umquam Orthodoxorum ſomniavit, infallibilem, nè erretur, Spiritûs Sancti aſſiſtentiam eſſe dubiæ & incertæ fidei adſtruit, & viam aperit ad omnes Conciliorum Generalium *Definitiones*, quæ ex Verbo Dei ſcripto, aut ſine ſcripto tradito, ad ſenſum *q.* 2. *&* 3. non ſunt quoad nos *per bonam conſequentiam deducta*, rejiciendum: neque ſatis reconciliari poteſt, cum iis, quæ docet infrà *n.* 178.

Tu tamen nota, D. Buſcumium doctrinæ ſuæ *n.* 2. ſupra; *illa verò, quæ nondum infallibiliter demonſtrata ſunt, eſſe de fide, à Theologis diſputari, euſque debent, donec ab Eccleſia definiantur*, ſubaudire, *ex Scripturâ & Traditione tamquam principiis*, de quibus *q.* 2. 3. *& ſeq.* ſatis: ac ſic velle, hæreſim Janſenianam debere à Theologis diſputari & probari, donec ab Eccleſia ex illis definiatur, & de ſic definita convincantur, quod evidenter dictam viam aperit, & ſuam iſtius hæreſis damnationem, de qua infrà *n.* 163. eſſe fraudulentam evincit; præſertim cum neget Pontificis definitioni extra Concilium Generale infallibilitatem, ut vidimus *n.* 39. & etiam Conciliis Generalibus in

*quæ-*

*quæſtionibus facti*, de quibus *n.* 129. ita ut tollat omne, contra dictam hæreſis Janſenianæ à Theologis diſputationem & probationem, Eccleſiæ remedium, & ſic conſequenter de cujuſque Doctoris hæreſi.

# EXAMEN II.

## *Super Regula* 3. *&* 4.

### D. BUSCUMIUS.

50. Regula 3. *Ad normam Scripturæ & Traditionis omnia Scholaſticorum ſcripta, & verba, & ſenſus expendenda ſunt, eorumque auctoritas ex illis petenda eſt.*

51. Addit rationem: *Ratio eſt; quia jam nihil eſt de fide, aut fieri poteſt, quod ab initio de fide non fuit; Chriſtus enim Dominus cum Apoſtolis ſuis totum Evangelium, & quidquid à nobis credi voluit, promulgavit. Vndè quemadmodum Concilia, Pontifices, & SS. Patres non introduxerunt novos articulos fidei, ſed ea ſolùm, definiendo, declaraverunt eſſe de fide, quæ per traditionem ut fidei receperant; ità nulla agnoſci poteſt, aut debet auctoritas in Scholaſticis, aut ad determinandam doctrinam fidei, aut ad eam explicandam, niſi ad normam Scripturæ & Traditionis. Sola hæc eorum vera authoritas eſt, ea poſteris tradere, quæ à Majoribus acceperunt, quia immobilis fidei veritas declivio temporis, non augetur, nec minuitur, ſed integra perſeverat.*

52. Regula 4. *Præ cæteris illæ voces & expreſſiones aſſumendæ, quæ in Scriptura & in Traditione ſunt in uſu,*

53. Addit pro ratione: *Ratio eſt; quia voces illæ, & expreſſiones à Spiritu Sancto loquente ſunt electæ ad myſteria fidei, & ſenſum Scripturæ, & Traditionis explicanda, & promulganda; ipſi quoque Apoſtoli, & SS. Patres pluſquam per decem ſæcula illis uſi ſunt, tàm ad infideles convertendos, ad fideles inſtruendos, ad Clerum illuminandum, quàm ad hæreticos & errantes damnandos & revocandos.*

54. *Igitur planè temerarium videtur, & periculoſum eſt, ab antiquis illis primitivæ Eccleſiæ vocibus, & expreſſionibus recedere, & in earum locum ſuperinducere paganos humanæ Philoſophiæ terminos, modoſque Ariſtotelicos.*

55. *Hoc experientia evidens facit, quod ab illo tempore, quo Theologi Ariſtoteliſmis uti cœperunt, & relictò antiquitatis tramite modum Scholaſticum induxerunt, quod, inquam, rariores converſi ſint infideles, inter fideles craſſa increvit, non ſatis deploranda, ubique ignorantia, Clerus vaniloquus, & inani argumentandi methodo tumidus, à veritate auditum populi avertit, ad fabulas aniles convertit; undè inſultant modò hæretici Catholicis, & audaciores redditi ex confuſione noſtra, & ab ipſis Scholaſticorum ſcriptis ſcandalizati, nequitiæ ſeu pertinaciæ ſuæ incrementum capiunt; olim Eccleſiæ Magiſtri verbo ſano & irreprehenſibili, deſumpto ex Scriptura & Traditione,*

tione,

*tione, os occludebant Eccleſiæ adverſariis; verùm qui modò ſe Magiſtros dicunt, & ob ſupremos in Theologia Scholaſtica gradus ſe omni exceptione majores autumant, ſuis diſtinctionibus, & formalitatum vocibus, & vocum ſubtilitatibus, vix intelligibiles facti ſunt, itaut tàm impoſſibile ſit, ut ipſi hæreticos à ſuis erroribus revocent, quàm ipſi ſe mutuò à propriis placitis revocare non poſſunt.*

# AUTHOR.

## QUÆSTIO I.

56. QVæritur primò. An D. Buſcumius Regula 3. ly *Scripturæ & Traditionis* non intelligat ad ſenſum *q.* 2. & 3 *n.*6. & 11. Vide *ibid.* & n. 13. ad 30. dicta; non enim conſequentiæ ratio aliud ſuadet.

## QUÆSTIO. II.

57. QVæritur ſecundò: An D. Buſcumius dicens: *jam nihil eſt de fide, aut fieri poteſt, quod ab initio de fide non fuit,* loquatur de fide *expreſſa, propoſita, definita, determinata* per Eccleſiam, ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ: an de fide *nondum expreſſa, propoſita, definita, determinata* per Eccleſiam, ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ?

58. Si priùs: ſenſus eſt, *jam ex omnibus Sacris prateritorum Generalium Conciliorum Canonibus nihil eſt de fide expreſſa, propoſita, definita, determinata per illa ſub infallibili Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ, aut fieri poteſt, quod ab initio de fide expreſſa, propoſita, definita, determinata per Eccleſiam ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ non fuit.* Ille autem ſenſus eſt tam indubiè hæreticus, quàm omnes dictos Sacros Canones *nihil exprimere, proponere, definire, determinare de fide*, quod ante illa, ſive ab initio, *expreſſum, propoſitum, definitum determinatum* ſub infallibili, nè erraretur, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ *non fuit:* ipſe tamen aliud ſentit, *Regula* 8. dicens: *ea, quæ ſemel infallibiliter demonſtrata ſunt, eſſe de fide, non ſunt amplius in quæſtionem aut diſputationem revocanda, ſed ut fidei poſitiones & dogmata, & tamquam certa Theologiæ principia in Cathalogo, aut volumine conſervanda.* Ubi *demonſtratum de fide*, idem ſonat ac *demonſtrata fides*, quam vocat *fidei propoſitionem*; demonſtrata autem fides, idem eſt, quod *expreſſa, propoſita, definita, demonſtrata per Concilium Generale,* juxta *modum primum* ipſius ibidem, *ſub infallibili, nè erret, Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ*

59. Si poſteriùs: ſenſus eſt, *jam ex omnibus Sacris prateritorum Generalium Conciliorum Canonibus nihil eſt de fide nondum expreſſa, propoſita, definita, determinata per Eccleſiam ſub infallibili, nè erret, Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ, aut fieri poteſt, quod ab initio de fide nondum expreſſa, propoſitâ, definita, determinata per Eccleſiam ſub infallibili, nè erraret, Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ, non fuit.* Tranſeat,

quid

quid indè, niſi hic Regulæ 3. ſenſus. *Ad normam Scripturæ & Traditionis nondum expreſſa, propoſita, definita, determinata per Eccleſiam ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ, omnia Scholaſticorum ſcripta, & verba, & ſenſus exprimenda ſunt, eorumque authoritas ex illis petenda eſt*, qui eſt contra Tridentinum *ſeſ.* 4. *decreto de Edit, & uſu S lib.* ubi ſic: *Præterea ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo, ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram doctrinam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat; etiamſi hujuſmodi interpretationes nullô unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure ſtatutis puniantur.* Et contra Eccleſiæ Catholicæ univerſitatis & antiquitatis conſenſionem: *Quis umquam*, inquit, Vincentius Lirinenſis in aureo ſuo *adverſus prophanas omnium hæreſeon novationes* libello, *hæreſes inſtituit, niſi, qui ſe prius ab Eccleſiæ Catholicæ univerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreverit*

## QVÆSTIO. III.

60 QVæritur tertiò. An D. Buſcumii horum verborum, *Chriſtus enim Dominus cum Apoſtolis ſuis totum Evangelium, & quidquid à nobis credi voluit, promulgavit*, ſit ſenſus. 1. *Chriſtus enim Dominus cum Apoſtolis ſuis totum Evangelium & quidquid fide explicitâ, propoſitâ, definitâ, determinatâ, à nobis credi voluit, promulgavit.* 2. *Quidquid ab aliquo Concilio Generali ſub infallibili, nè erret, Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ explicatum, propoſitum, definitum, determinatum, à nobis credi voluit, explicitè & formaliter promulgavit.* 3. *Quidquid in Scriptura & Traditione, & Generalibus Conciliis explicitè vel implicitè contentum à nobis credi voluit, explicitè vel implicitè promulgavit.* 4. *Quidquid in Scriptura, Traditione, & generalibus Conciliis contentum à nobis credi voluit quoad ſubſtantiam, promulgavit quoad ſubſtantiam.* 5. *Quidquid Scripturæ, Traditionis & Conciliorum Generalium ab Eccleſia ſub infallibili, nè erret, Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ explicatum, propoſitum, definitum, determinatum à nobis credi voluit quoad explicationem, propoſitionem, definitionem, determinationem, quoad hanc promulgavit?*

61. Si *primum*: Aut Chriſtus à nobis credi non voluit, quidquid à Conciliis Generalibus de fide *explicatum, propoſitum, definitum, determinatum* ſpecialius, quàm in Scriptura, aut Traditione expreſſè & formaliter contineatur; aut illud omne *expreſſè & formaliter promulgavit*: quorum utrumque eſſe erroneum, omnes Orthodoxi fatentur.

62. Si *ſecundum*: Cuique legenti *Sacram Scripturam*, de qua Tridentinum *ſeſ.* 4. & Concilia, Pontificum decreta, SS. Patrum & antiquorum libros, priora Tridentino, à quibus petendam eſſe Traditionem, ſcribit ad *Regulam* 2. ad oculum patebit, quod, quidquid à Tridentino, & ſic de aliis Conciliis

ciliis Generalibus, eſt de fide *explicatum*, *propoſitum*, *definitum* &c. Chriſtus in Scriptura, aut Traditione, expreſsè & formaliter non promulgarit.

63 Si *tertium*: fateor; ſed per hoc falſificatur Regula ipſius 2. Quia Scriptura & Traditio implicita ut talis non poteſt eſſe S. Theologiæ *principium*. Item & Regulâ 3. quia ut talis non poteſt eſſe *norma*, &c. Vide dicta *n.* 7.

64. Si *quartum* fateor, quod Chriſtus id omne, *quod a nobis credi voluit quoad ſubſtantiam*, promulgarit *quoad ſubſtantiam*, eâ ratione, quâ S. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 7. *in corpore* ſcribit: *Sic ergo dicendum eſt, quod quantum ad ſubſtantiam articulorum fidei non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem; quia quæcumque poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum; quia quædam explicitè cognita ſunt à poſterioribus, quæ à prioribus non cognoſcebantur explicitè.*

Aut D. Buſcumius vult, Chriſtum articulos accreſcentes *quoad explicationem*, expreſsè & formalitèr *quoad explicationem* promulgaſſe, aut non vult? Si priùs: jam refutatum eſt. Si poſterius: diſtinguere debuiſſet, nè omnium Conciliorum Generalium fidei articulorum *explicationes & definitiones* exploſionis periculo exponeret: ex quo, & præmiſſis aliis diſtinctionibus, ſatis videre poteſt, quàm vanè effutiverit ad Regulam 4. *Qui modò ſe Magiſtros dicunt, & ob ſupremos in Theologia Scholaſtica gradus ſe omni exceptione majores autumant, ſuis diſtinctionibus, & formalitatum vocibus, & vocum ſubtilitatibus* (numquid & iſtis D. Thomas ibi?) *vix intelligibiles facti ſunt.* Quid dicent omnes (egit indefinitè, non de *Pſeudotheologis*, contra quos priùs ob aliam rationem egerat *Regul.* 3. ideoq; effugium hoc, quod in ſua *Defenſione pag.* 3. prætendit, ſibi clauſit) Doctores Eximii Pariſienſes, Salmanticenſes, Lovanienſes, & alii? Numquid confuſio errorem parit, diſtinctio veritatem aperit? Numquid tota primitiva Eccleſia, omnes Sancti Patres, & Concilia, in ſenſu confuſo, etiam *S. Scripturæ & Traditionum*, falſum à vero, & econtrà, diſtinguunt? Numquid videt D. Buſcumius, Scholaſticorum exploſas diſtinctiones ſervire, ut infidelium & hæreticorum occultentur errores? Numquid fortè dicet, me meis contra ſe diſtinctionibus vix intelligibilem factum? Videbimus.

65. Si *quintum*: ad ſolam pœnam libri ipſum provoco; legat omnia Biblia pro *Scriptura*, & omnia Concilia ac Pontificum decreta, SS. Patrum & antiquorum libros pro *Traditione*, de qua *ad Regulam* 2. ait: *peti autem debet Traditio ex Conciliorum & Pontificum decretis, & SS. Patrum, & antiquorum libris:* ipſi evidentiſſimè conſtabit, prout indubiè ipſi conſtat, Concilii Tridentini (& ſic de Conciliis Generalibus aliis proportionaliter) fidei *explicationes, definitiones* &c. *quoad ſe* à Chriſto non eſſe promulgatas.

66. Quid indè, inquiet? Reſpondeo: Regulam iſtam, niſi aliter explicetur, & termini magis diſtinguantur, attentis aliis annexis Regulis, eſſe plenam periculis, ne ſcilicet eludantur Conciliorum Generalium fidei *explicationes, & definitiones*, quaſi Chriſtus illas à nobis credi non voluerit.

## *QUÆSTIO. IV.*

67. QVæritur quartò : An rationis, quam D. Buſcumius Regulæ 3. ſubdit : *quia jam nihil eſt de fide, aut fieri poteſt, quod ab initio de fide non fuit*, ſit hic ſenſus : *poſt omnia Concilia Generalia nihil eſt de fide explicata & definita, aut per illa fieri poteſt de fide*, &c. *quod, ante illa omnia, de fide ut ſic non fuit?*

68. Si affirmet : affirmare debet conſequenter, omnia Concilia Generalia, omniumque Conciliorum Generalium fidei *definitiones*, fuiſſe antequam eſſent; quia hæ ut Conciliorum Generalium fidei *definitiones*, de quibus *ad Regulam* 8. ſcribit, *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*, non fuerunt ante omnia Concilia Generalia; & ſicut ante hæc omnia non fuerunt, ità ante illa de fide explicita & definita non fuerunt, niſi, ante omnia Concilia Generalia, & fidei definitiones ut Conciliorum Generalium, fuerint, priuſquam eſſent, quod pugnat in terminis.

69. Si neget : ergo per ipſum, *poſt omnia Concilia Generalia aliquid eſt de fide explicita & definita, aut per illa poteſt fieri de fide ut ſic, quod, ante illa omnia, de fide ut ſic non fuit*; quia *nihil eſſe* &c. quod negat, & *aliquid eſſe*, &c. ſunt contradictoria, quæ non poſſunt eſſe ſimul vera, etiam juxta antiquitatis tramitem, nè me, quod *Ariſtotelifmis utar, relictô antiquitatis tramite*, uti modernos Scholaſticos *ad Regulam* 4. arguat.

## *QUÆSTIO V.*

70. QVæritur quintò. An D. Buſcumius ſentiat, Conciliorum Generalium de fide factas *explicationes & definitiones* eſſe de fide tantum ut *Scripturam & Traditionem* ad ſenſum *q.* 2. *Exam.* 1. *n.* 6. An ſentiat, illas ut illorum per ſe habere fidei explicatæ & definitæ veritatem, quam per ſe non habent *Scriptura & Traditio* ut tales?

71. Si primum affirmet : per ipſum, Conciliorum Generalium ut Conciliorum Generalium *definitiones* non ſunt de fide, niſi velit Concilia Generalia ut talia eſſe *Scripturam & Traditionem* ut talem, & tantùm; ac proindè in Eccleſia Chriſti non eſſe infallibilem Controverſiarum fidei Judicem animatum, quem ſoli negant hæretici : affirmare autem, *definitiones* Conciliorum Generalium ut talium non eſſe de fide, eſt evidenter hæreticum, & oppoſitum ipſius doctrinæ, quâ ad *Regulam* 8. Catholicè dicit : *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*, niſi id hôc ſolô ſenſu intelligat, *ſunt enim definitiones Conciliorum, tantùm ut Scriptura & Traditio, adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*, quod equidem eſſe hæreticum, dixi : nec ab eo ſatis procul

 recedit

recedit, dum iſti doctrinæ, *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certa & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*, immedeatè pro probatione addit, *nihil enim intereſt, an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcriptó traditum*, quô velle videtur, illas eſſe tantùm *Verbum Dei ſine ſcripto traditum*, attentâ particulâ *tantùm* Regula 2. *S. Theologia à duobus tantùm principiis eſt petenda: Scriptura ſcilicet & Traditione*, pro qua vide *Examen* 1.

72. Si verò ſecundum affirmet: non ſolùm evidenter fallit, & hæretica eſt ipſius *Regula* 2. ſtatim citata; ſed & ratio, quam ſubdit ad Regulam 3. *quia jam nihil eſt de fide, aut fieri poteſt, quod ante* illa omnia de *fide non fuit*. Vide *q.* 2. *&* 3. hìc ſuprà. Et attende, indè ſequi, definitiones Conciliorum Generalium non eſſe infallibiliores Scholaſticorum Definitionibus conſonis, in quo eſt error communis penè omnibus D. Buſcumii Regulis.

## QVÆSTIO. VI.

73. Q*Varitur ſextò*. An D. Buſcumius ut veram admittat hanc doctrinam D. Thomæ 2. 2 *q.* 1. *art.* 7. in corp. *Sic ergò dicendum eſt, quod quantum ad ſubſtantiam articulorum fidei non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem; quia quacumque poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum; quia quadam explicitè cognita ſunt à poſterioribus, qua à prioribus non cognoſcebantur explicitè. Vndè Dominus Moyſi dicit* Exod. 6. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicavi eis*. Et David dicit: *ſuper ſenes intellexi*. Et Apoſtolus dicit ad Epheſ. 3 *In aliis generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt Sanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis?*

74. Si ut veram admittat: cur ex ratione Regulæ 4. inferens: *Vndè quemadmodùm Concilia, Pontifices, & SS. Patres non introduxerunt novos articulos fidei, ſed ea ſolùm, definiendo, declaraverunt, eſſe de fide, qua per Traditionem ut fidei acceperant*, non diſtinguit ſecundùm allatam D. Thomæ doctrinam? *Concilia, Pontifices, & SS. Patres non introduxerunt novos articulos fidei quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad explicationem, definitionem*, &c. *explicando, definiendo*, &c. *eſſe de fide, qua per traditionem ut fidei implicita acceperant*, niſi fortè, nè aliquam, præter Scripturam & Traditionem, agnoſcat *definitionum* infallibilitatem: alioqui vidiſſet neceſſitatem Regulæ ſuæ 3. *Ad normam Scriptura & Traditionis* addendi *conformiter Conciliorum Generalium & Pontificum fidei explicationibus, definitionibus*, &c. de quo iterum *q.* 7. uti & in Regula 2. *S. Theologia à duobus tantùm principiis eſt petenda, Scripturâ ſcilicet & Traditione* omittendi particulas *duobus tantùm*, atque addendi in fine, *& Conciliorum Generalium fidei explicationibus, definitionibus*, &c. ut vitaret prætactas contra illam difficultates. Sed maluit Scholaſticorum explodere diſtinctiones, contra quas per *Regulam* 4. ſe remedium præſtare prætendit, aiens: *Hac Regula ſuppeditat remedium tollendi in Scholis Theologicis*

*logicis quæſtiones de nomine, æquivocationes, diſtinctiones* &c, contra quod commodiùs *q. 7*.

75. Si ut veram non admittat: à Conciliorum Generalium fidei *explicationibus, definitonibus* &c. *de fide* novam fidei explicationem, definitionem &c. & ſic novos fidei articulos, *quoad explicationem, definitionem*, rejicit, ac per conſequens cum *Scholaſticorum diſtinctionibus* totam fidem ut Conciliorum Generalium explodit, quod indubiè eſt apud omnes Orthodoxos hæreticum.

76. Numquid fortè vult ſuæ, non ſine periculo indiſtinctæ, ſimilitudinis alteram partem: *ita nulla agnoſci poteſt, aut debet authoritas in Scholaſticis, aut ad determinandam doctrinam fidei, aut ad eam explicandam, niſi ad normam Scripturæ & Traditionis*, ſenſu quô hanc ſumit, juxta *Exam*. 1. hunc habere ſenſum: *ita nulla agnoſci poteſt, aut debet authoritas in Conciliis Generalibus* (quia ratio undè ſimilitudinem infert, æquè pro illis, ac Scholaſticis, concludit, ut vidimus q. 2. & 3.) *aut ad determinandam doctrinam fidei, aut ad eam explicandam, niſi ad normam Scripturæ & Traditionis præcisè, ſive præcisâ omni Conciliorum Pontificum* &c. *de fide explicatione & definitione* (quia id ſequitur, ſi veram non admittat D. Thomæ doctrinam de novitate articulorum fidei *quoad explicationem*) *ſola hæc eorum Conciliorum Generalium* (ob rationem paritatis allatam) *vera authoritas eſt, ea poſteris tradere, quæ à Majoribus, quàm ſint Concilia Generalia* (ob eandem conſequenter rationem: ſed quinam *Majores* iſtis à S. Sede approbatis & confirmatis?) *quia immobilis fidei veritas declivio temporis, nec per Concilia Generalia quoad explicationem augetur* (quia id evidenter ſequitur, niſi dictam D. Thomæ doctrinam & diſtinctionem admittat.) *Nec diminuitur, ſed integra, nullam novitatem quoad explicationem à Conſiliis Generalibus recipiens* (ob ſequelam ſtatim dictam) *perſeverat*: ille autem ſenſus eſt evidenter hæreticus, & confirmat, quod, apud omnes orthodoxos eſſe hæreticum, diximus; quod debet fateri, aut magis cum D. Thoma diſtinguere, ejuſque à ſe malè exploſas diſtinctiones agnoſcere, ut hæreſim iſtam vitet, neceſſarias.

77. Dicet fortè: ſe per *Traditionem* intelligere illam, *quæ reperitur in Conciliorum & Pontificum decretis, & Sanctorum Patrum, & antiquorum libris*. Sed contra: redit quæſtio: an de illa loquatur, quæ eſt ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sanctô dictante quaſi per manus expreſsè tradita, ab Eccleſia, infallibili authoritate expreſsè propoſita, definita, determinata? Vide *exam*. 1. *à n*. 6. *ad* 30.

## QUÆSTIO VII.

78. Q*Væritur ſeptimò*. An non velit: *Ad normam Scripturæ & Traditionis omnia* Conciliorum Generalium *ſcripta, verba, & ſenſus* à nobis *eſſe expendenda, eorumque authoritatem* à nobis *ex illis eſſe petendam*, ut illa, uti

Scholaſticos, rejicere debeamus, ſi Scripturæ & Traditioni conformia non judicemus?

79. Si velit: quâ veritate ſcribit Regula 8. *Ea, quæ ſemel infallibiliter demonſtrata ſunt, eſſe de fide, non ſunt ampliùs in quæſtionem aut diſputationem revocanda, ſed ut fidei poſitiones, & dogmata, & tamquam certa Theologiæ principia in Cathalogo, aut Volumine conſervanda?* Non enim ibi demonſtrationem Ariſtotelicam requirit: tùm quia *ad Regulam* 4. addit: *Hoc experientia evidens facit, quod ab illo tempore, quô Theologi Ariſtoteliſmis uti cœperunt, & relictô antiquitatis tramite, modum Scholaſticum induxerunt, quod, inquam, rariores converſi ſunt infideles, inter fideles craſſa increvit ignorantia, Clerus vaniloquus, & inani argumentandi methodo tumidus à veritate auditum populi avertit; undè inſultant modò hæretici Chatholicis, & audaciores redditi ex confuſione noſtra, & ab ipſis Scholaſticorum ſcriptis ſcandalizati, nequitiæ ſeu pertinaciæ ſuæ incrementum capiunt.* Inſigne profectò Orthodoxorum encomium, quale foret & Conciliorum Generalium, fidei veritates demonſtrantium per concluſionem ex duabus præmiſſis fidei, aut una fidei & altera evidenter naturali, in debita figura Ariſtotelica, quam *Ariſtoteliſmum* vocamus! Numquid potiùs eſt valde periculoſum mendacium? Tùm quia, ſi demonſtrationem Ariſtotelicam requirit, ſuperflua eſt Conciliorum Generalium ad veritates fidei explicandum & definiendum authoritas, cum ad illas nobis dicta demonſtratio Ariſtotelica ſufficiat, niſi cœci ſimus & mente capti.

80. Si non velit: cur Regulæ 3. rationem, æquè reſpectu Conciliorum Generalium, ac Scholaſticorum concludentem, adfert? Sanè, cum obindè ex *Regula* 3. *n.* 51. *ſup.* ſequi videatur, illa non eſſe majoris authoritatis, quàm ſint Scholaſtici, hinc ex *Regula* 3. aliqua hæreſis ſequi videtur. Vide *n.* 26. *ad* 30.

## QUÆSTIO VIII.

81. Q*Varitur octavò*: An D. Buſcumius præ cæteris *Regulas & expreſſiones aſſumpſerit, quæ in Scriptura & Traditione ſint in uſu?*

82. Si affirmet: oſtendat octo Regulas & expreſſiones, quas aſſumpſit, in *Scripturâ & Traditione* eſſe in uſu: ipſos quoque Apoſtolos & SS. Patres pluſquam per decem ſæcula illis uſos eſſe, tàm ad infideles convertendos, ad fideles inſtruendos, ac Clerum illuminandum, quàm ad hæreticos & errantes damnandos & revocandos, uti *ad Regulam* 4. pro ratione ſcribit: poſſe, non credam, niſi oſtenderit: debet tamen; quia eadem eſt ratio *Regularum*, quæ *vocum*, de quibus *Regula* 4. imò major. Cur ibi non addit *conformiter Conciliorum Generalium, aut Pontificum infallibilibus fidei explicationibus, definitionibus, determinationibus*, quas ut tales à *Scriptura & Traditione* expreſſis diſtingui huc uſque probavimus? Certè dum has in Regula explicitè non ponit, de erronea excluſione ſuſpicionem auget, ut ſequitur ex

præ-

præmiſſis, & indè Regulam illam reddit ſuſpectam. Vide dicta *n.* 49. in fine, ac *n.* 72 & 74.

83. Si neget: aliis Regulam tradit, quam ipſe deſpicit, & cur deſpiciat, eſſe poteſt; quia fortè plus intendit, quàm clarè exprimere auſit: notet illud Vincentii Lirinenſis in ſuo aureo *adverſus omnium hæreſeon novationes* libello: *Scripturam Sacram* (& idem eſt de Divinâ Traditione) *pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt; ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut penè, quot ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iovinianus, Pelagius, Cæleſtinus, aliter poſtremò Neſtorius.* Quorum, & aliorum, Lutheri, Calvini, &c. hæreſes, ſi velit à ſua Regula remotiores, illi addere debet *conformiter Conciliorum Generalium aut Pontificum infallibilibus fidei explicationibus, definitionibus, determinationibus*, juxta id, quod in libello iſto immediatè ſequitur: *Atque idcircò multùm neceſſè eſt, propter tantos tàm varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.* Vide Trident. ſuprà *n.* 69.

84. Undè mirum eſt, quod pro concluſione ſuæ *Regulæ* 4. addit: *Igitur hæc Regula ſuppeditat remedium tollendi ex Scholis Theologicis quæſtiones de nomine, æquivocationes, diſtinctiones, & per conſequens inutiles pugnas, criminationes, confuſiones & ſcandala*: cum potiùs defectu *diſtinctionis* ſit periculum invehendi ea, & omnes prædictas hæreſes defectu hujus ad Regulam 4. *Conformiter Conciliorum Generalium, aut Pontificum infallibilibus fidei explicationibus, definitionibus, declarationibus*, additionis. Vide dicta *Exam* 1. *n.* 32.

85. Nec minùs mirum eſt, quod *ibidem* ſubdit: *Saltèm hoc pro veriſſimo tenendum eſt (ſi forte alicui jam dicta minus arrideant) neminem magis Chriſtianè, aut Theologicè loqui, cenſeri debere, quàm qui illis vocibus & expreſſionibus utitur, quibus Scriptura & Traditio uſæ ſunt*; nam ſi addatur juxta Regulam *præcisè*, ſive *præciſis*, prout præſcindit, *Conciliorum Generalium, aut Pontificum infallibilibus fidei explicationibus, definitionibus, declarationibus, determinationibus*, id tàm falſum eſt, quàm quod hæc non ſint neceſſariæ ad omnes prædictas debellandum hæreſes.

EXAMEN

# EXAMEN III.

## *Super Regula 5. & 6.*

### D. BUSCUMIUS.

86. REgula 5. *Res, voces, & expreſsiones Scripturæ & Traditionis, quæ claræ ſunt, debent in ſua claritate uſurpari; quæ verò obſcuræ & æquivocæ ſunt, debent explicari, aut definiri, & ad certum ſenſum determinari.*

87. Addit pro ratione: *Ratio eſt; quia ea, quæ clara ſunt, ad hoc ut intelligantur, aut ad uſum applicentur, non egent explicatione; ſolùm curandum eſt, ut in ſua claritate retineantur, & nè ad ſenſum pravum contorqueantur: talia valde multa ſunt, ut hiſtoriæ, miracula, & ſententiæ, tàm Scripturæ, quàm Traditionis, quæ tàm claris verbis expreſſa ſunt, ut nonniſi per vim ad alienum ſenſum cogi poſsint.*

88. *Illa verò, quæ obſcura & æquivoca ſunt in Scriptura, & Traditione, ſi obviò ſenſu accipiantur, non tantùm falſa erunt, verum & abſurda, vana, nociva, imò & hæretica, & ad damnationem ducentia; hinc eſt, quod S. Petrus monet Epiſt 2. cap. 3. loquens de Epiſtolis Apoſtoli Pauli:* In quibus (*inquit*) ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum damnationem.

89. Regala 6 *Explicationes & definitiones Theologicæ, tàm quoad voces, quàm ad res ſignificatas Scripturæ & Traditionis, peti debent, non ex uniuſcujuſque placito, ſed ex mente Spiritûs Sancti, & ſenſu ab ipſo, dum revelaret, intento.*

90. Addit pro diſpoſitione 3. *ex parte Theologi neceſſaria* ad intelligentiam verbi Dei: *Tertia diſpoſitio, eaque certiſsima, eſt attenta conſideratio Traditionis. Cum enim ipſa ſibi Scriptura, quantumcumque legatur, & teneatur, ad propriam ſui dilucidationem non ſufficit; neceſſe eſt illam conferre cum Traditione, ſine qua nec ipſam Scripturam agnoſceremus. Per hoc enim cognoſcimus Scripturam eſſe Verbum Dei; quia Eccleſia per Traditionem inſtructa ſic definit, & declarat hos libros à Spiritu ſancto dictante eſſe conſcriptos: itaut primum & originale principium omnium eorum, quæ fide divinâ credimus, ſit Traditio.*

91. *Principium autem & origo Traditionis eſt prima Veritas revelans, quæ olim loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè Apoſtolis, aliiſque præordinatis teſtibus, locuta eſt in filio.*

92. Et infrà: *Itaut dein SS. Patres illud ipſum Verbum cum ſuo ſenſu, & Spiritu, prout ab Apoſtolis acceperant, ſuis ſcriptis expreſſerint, & currentibus ſæculis, tàm ad hæreſes exurgentes damnandas, quàm ad pravas doctrinas eliminandas, actis Conciliis, in Canones & decreta redegerint. Vndè doctrina Conciliorum & Patrum non eſt ipſorum, ſed Apoſtolorum & Chriſti, à quibus illam per Traditionem acceperant.*

AU-

# AUTHOR.

## QUÆSTIO I.

93. QVæritur primò. Idem quod *Examine* 1. *q.* 2. *&* 3. Vide *ibidem* dicta: alioqui hîc non loqueretur conſequenter, aut ſaltem malè confunderet *Traditionem Eccleſiæ Catholicæ*, cum *Divinâ*, quam deſcribit *ad Regulam* 1. uti toto *Exam.* 1. vidimus, *quæ eſt Verbum Dei.* &c.

## QUÆSTIO II.

94. QVæritur ſecundò. An D. Buſcumius velit, *Scripturæ & Traditionis voces & expreſſiones obſcuras & æquivocas debere explicari, aut definiri, & ad certum ſenſum determinari, à* ſolis Conciliis Generalibus, aut etiam à Scholaſticis Theologis?

95. Si à ſolis Conciliis Generalibus: Quid miratur *ibidem* ſubdens: *Mirum utique, in veritate rimandâ ſagaciores Theologis inveniri Geometras, qui ad vitandos æquivocationis errores, & obſcurarum vocum quæſtiones, verba imprimis ipſa definiunt; conſtitutâ autem apud ipſos ſemel alicujus vocis notione, qui de ſenſu ejus adhuc dubitat, aut illam ex vulgi more, non ex ipſa definitione, interpretatur, meritò ab omnibus exploditur?* Quid monet ibidem: *Igitur debet Theologus ad hoc anniti, ut ea, quæ obſcura & æquivoca ſunt in Scriptura & Traditione, non ſenſu obvio accipiantur, ſed vero & ſano, & à Spiritu Sancto intento?* Et cur Regula 6. vocat illas explicationes & definitiones *Theologicas*, dicens: *Explicationes & definitiones Theologicæ, tàm quoad voces, quàm ad res ſignificatas Scripturæ & Traditionis*, &c? Cum enim de fide ſit, Concilia Generalia habere infallibilem, nè errent, Spiritûs Sancti aſſiſtentiam, quam non habent Geometræ, & ideò monendi non ſint, *ad hoc annitantur, ut ea*, &c. *non ſenſu obvio accipiantur*, &c. aut utrumque eſt impertinens; aut vult, Concilia Generalia non eſſe infallibiliora Geometris, vel Theologis, de quibus ibi, quod eſt hæreticum.

96. Si à Theologis: vel ſeorſim à ſenſu à Conciliis Generalibus & Sacris Canonibus intento, vel conjunctim? Si conjunctim: vim retinet argumentum ſtatim factum. Si ſeorſim: illis tribuit *voces & expreſſiones Scripturæ & Traditionis*, ſive Verbi Dei, *quæ obſcura & æquivoca ſunt explicandi, aut definiendi, & ad certum ſenſum determinandi*, dictam authoritatem, & ſic Conciliorum Generalium ac fidei controverſiarum Judicis infallibilis neceſſitatem tollit, quod etiam eſt hæreticum. Igitur.

## QUÆSTIO III.

97. Quæritur tertiò. An D. Buſcumius velit, Theologos per ſe & independenter à Conciliis Generalibus, & Sacris Canonibus, *voces & expreſſiones Scripturæ & Traditionis, quæ obſcuræ & æquivocæ ſunt*, poſſe infallibiliter *explicare, aut definire, & ad certum ſenſum determinare.*

98. Si neget: ad quid talem Regulam 3. & 4. Theologis ab iſtis præciſam ſcribit, niſi, ut errent, & ſeducantur, ac de ſua Regula 1. teſtimonium perhibeant erroris & ſeductionis, uti *Examine* 1. vidimus?

99. Si affirmet, quod non obſcurè evincit *Examen* 1. Theologis, à Conciliis Generalibus, & Sacris Canonibus independenter, fidei controverſiarum Judicis infallibilis authoritatem tribuit, quod eſt hæreticum; ideòque planè impertinenter ſuam Regulam ad Theologos dirigit, optat comparari Geometris, & illos monet, ut *annitantur ea*, quæ obſcura & æquivoca ſunt in Scriptura & Traditione *non ſenſu obvio accipi, ſed vero & ſano, & à Spiritu Sancto intento*: quia nihil per ſe & independenter à Conciliis Generalibus, & Sacris Canonibus habent infallibilitatis, præter ipſam Scripturam & Traditionem obſcuram & æquivocam, de quibus quæſtio eſt, & ſpiritum privatum, qui Lutheranis, Calvinianis, & aliis hæreticis eſt communis.

100. Undè verendum eſt, nè quis putet, D. Buſcumium in ſua *Inſtructione ad Tyronem Theologum* voluiſſe, etiam Generalibus Conciliis omnem adimere authoritatem infallibilitatis, præterquam *Verbi Dei ſcripti, aut ſine ſcripto traditi*, prout in ſe eſt à Conciliis Generalibus & à Sacris Canonibus independenter, & antecedenter; quia *ad Regulam* 8. dicens: *Vtitur autem Eccleſia infallibili hâc ſibi à Chriſto relictâ authoritate, tàm in dubiis & quæſtionibus fidei definiendis, quàm erroribus, & hæreſibus anathematizandis, tribus modis. Primo, quandò ipſa in Concilio Generali congregata definit: ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*: pro ratione addit: *Nihil enim intereſt, an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcripto traditum*; quo totam tribuit illarum certitudinem & infallibilitatem, *Verbo Dei ſcripto, aut ſine ſcripto tradito*; non verò infallibili, nè errent, Spiritûs Sancti aſſiſtentiæ. Et *ad Regulam* 6. dicit: *Per hoc enim cognoſcimus Scripturam eſſe Verbum Dei; quia Eccleſia per Traditionem* (nota *non dicere*, per infallibilem Spiritûs Sancti aſſiſtentiam) *ſic definit, & declarat hos libros à Spiritu Sancto dictante eſſe conſcriptos: ita ut primum & originale principium omnium eorum, quæ fide divinâ credimus, ſit traditio.* Et infrà: *Vnde doctrina Conciliorum & Patrum non eſt ipſorum, ſed Apoſtolorum & Chriſti, à quibus illam per Traditionem acceperunt*: quæ omnia vera ſunt, Conciliis Generalibus & Sacris Canonibus ademptâ omni authoritate infallibilitatis, præterquam *Verbi Dei ſcripti, aut ſine ſcripto traditi*, prout in ſe eſt à Conciliis Generalibus & Sacris Canonibus independenter, & antecedenter: nec minùs vera ſunt reſpectu cujuſlibet Theologi Orthodoxi eaſdem ſibi defini-

tiones facientis juxta *Regulam 5.* quam reſpectu Conciliorum Generalium, aut Eccleſiæ, præſertim, attentâ ratione Regulæ 3. *Quia jam nihil eſt de fide, aut fieri poteſt, quod ab initio de fide non fuit: Chriſtus enim Dominus cum Apoſtolis ſuis totum Evangelium, & quidquid à nobis credi voluit, promulgavit.* Et ratione Regulæ 7. *Quia eſſe de fide, idem eſt, quod eſſe à Deo revelatum, ſeu Verbum Dei: omne autem Verbum Dei, aut continetur in Scriptura, aut Traditione.* Relege dicta *Examine 2. per totum.*

101. Quod autem ſequelam iſtam veroſimiliùs ſuadet, eſt, quod, non obſtantibus ſuæ *Inſtructionis ad Tyronem Theologum* revelatis periculis, in ſua *Defenſione pag. 23.* ſcribens: *Requiritur ergo divina revelatio, ut myſterium Immaculatæ Conceptionis tanquam fidei decernatur: hanc deſumere oportet ex æternitatis Volumine, quô Deus Eccleſiæ ſuæ pandit per Scripturam & Traditionem*: Hæc verba brevis Apoſtolici Gregorii XIII *æternitatis volumen, quod in ſapientiæ Chriſtianæ Cathedra legere debemus,* tranſmutet in hæc, *quod Deus Eccleſiæ ſuæ pandit per Scripturam & Traditionem:* Quaſi verò *Sapientiæ Chriſtianæ*, ſive Summi Pontificis, *Cathedra*, etiam in Concilio Generali, aliud non ſit, quàm *Scriptura & Traditio*, & de harum obſcuritate & indeterminatione infallibiliter non judicet, definiat, & determinet, quod *Scriptura & Traditio* non faciunt: hoc ſanè eſſet cum Lutheranis & Calviniſtis illam ſentire ad controverſias fidei inutilem & fruſtraneam.

102. Item quaſi verò, ex eo, quod Pontifex dicit: *Spiritûs Sanctus accuratiſſimis precibus exoratus, nondum tanti myſterii arcanum Eccleſiæ ſuæ patefecit; nos autem nonniſi, eô præeunte, æternitatis volumen in ſapientiæ Chriſtianæ Cathedra legere debemus*, legitimè inferat: *Ergo, ipſomet Pontifice fatente, non poterat tunc temporis myſterium iſtud proponi fide Divinâ credendum, defectu Scripturæ & Traditionis.* Hoc enim ibi non fatetur Pontifex, nec ſine evidenti errore fateri potuit, pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione non ſubeſſe Scripturarum, ac ſanioris & maximæ totius Eccleſiæ partis Traditionem, ut patet ex fusè deductis in noſtra *Viſione Eliæ de Immaculat. Concept. diſp.* 3. quoad Scripturam *à n.* 255. *ad* 269. & quoad Traditionem *à n.* 404. *ad* 605. Sed ſolùm vult, Spiritum ſanctum nondum ſuæ Eccleſiæ inſpiraſſe iſtiuſmodi Scripturæ & Traditionis obſcuræ, ac in Divina Traditione adhuc implicitæ & indeterminatæ tamquam fidei propoſitionem, & definitionem, quam nonniſi iſtâ præeunte inſpiratione facere debet. Vide infrà *Exam 4.q.7.n. 167.*

103. Nec minùs eandem ſequelam ſuadet id, quod habet in eadem ſua *Defenſione* pag. 27. *Cum enim Tyroni Theologo præſcriberem per primam Regulam, ut, ne erret, aut ſeducatur, abſque præjudicius indeterminatus hæreat inter partes Scholaſticorum, donec ex ipſis principiis convincatur de veritate: non poteram tamquam certum & de fide determinatum proponere, quod ex Theologiæ principiis necdum conſtabat eſſe infallibiliter definitum.* Hujus non minoris ſuaſionis

104. Ratio eſt: Quia conſequenter, juxta Regulam 2. *S. Theologia à duobus tantùm principiis eſt petenda, Scripturâ ſcilicet & Traditione* (de quibus *Re-*



*gula*

*gula* 1.) vult *ſe non poſſe*, aliquid, quidquid ſit, *tamquam certum & fide Divinâ determinatum* proponere, quod *ex Theologiæ principiis, duobus tantùm, Scripturâ ſcilicet & Traditione*, necdum conſtat eſſe infallibiliter definitum; licèt eſſet à Concilio Generali, & Summo Pontifice ex Cathedra, ſive Cathedræ Petri authoritate, definitum: quia pro Regula 7. ſic indubitanter ſtatuit: *Ad demonſtrandum aliquid eſſe, vel non eſſe de fide, requiritur* (nota) *& ſufficit probare, quod contineatur, vel non contineatur* (in eadem *Defenſione pag.* 18. omiſit, *vel non contineatur*, quo, omiſſo, Regula eſt hæretica) *Scripturâ, vel Traditione.* Ubi in *Traditione* comprehendere non poteſt Conciliorum Generalium & Pontificum ex Cathedra definitiones, ut patet ex præmiſſis, toto *Examine* 1. & ſuæ *Defenſionis* pag. 20. *Sed numquid ſaltèm injurioſum eſt Eccleſiæ, aſſerere*, quod deciſiones Conciliorum Generalium *in quæſtionibus facti*, non ſint de fide. *Reſpondeo: quod, ſuppoſitâ veritate Regulæ* (utique 7.) *Si quæſtiones illæ facti non contineantur Scripturâ vel Traditione, non ſunt de fide.* Regula 7. autem non habet *non contineantur*, ſed, *probari tamen non poſſunt contineri in Scriptura & Traditione*, quæ ſunt longè diverſa; quia obſcurè & implicitè dumtaxat contenta in Scriptura & Traditione, infallibiliter probari non poſſunt contineri in illis, niſi ipſâ Concilii & Pontificis ex Cathedra Definitione, quam ibi in *quæſtionibus facti* vult eſſe incertam & dubiam. Vide ſuprà *n.* 44. Cur autem etiam hoc mutarit? Magis conſtabit, dum ad hæc & totum hoc *Examen* reſponderit.

105. Addit quidem *Defenſionis* ſuæ pag. 21. *Quod autem in conciliis Generalibus declarari, & decidi poſsint quæſtiones facti, quæ non continentur in ſacra Scriptura vel Traditione, nullus inficiabitur.* Sed hoc non intelligo, niſi ſit omiſſum *non poſſint*, quod inter errata non notatur; & ſi ponatur, nihil pro ejus defenſione facit, niſi probet, quod prætendit, *Eccleſiæ infallibilitatem, quando ſolus Pontifex, abſque conſenſu aut approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit* (de qua ipſe ad Regulam 8.) *Canonizationes Sanctorum* (de quibus ad Regulam 7.) ac *deciſiones & definitiones Eccleſiæ etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti* (de quibus *ibidem*,) non contineri, ſaltèm implicitè & indeterminatè in *Scriptura vel Traditione*; quia, quod, ſi ut ſic in illis contineantur, poſſint à Conciliis Generalibus declarari, & decidi, nullus Orthodoxus inficiabitur: in illa autem & Scriptura eas ut ſic contineri, *Examine* 4. oſtendemus.

106. Superaddit quidem *ibidem* pag. 29. *Dico iterum, iterumque dico, & affirmo cùm magno Pontifice S. Gregorio, quatuor primis Conciliis Generalibus, non minorem deberi honorem, quàm quatuor Evangeliis; nec his modò, verum etiam cæteris omnibus Oecumenicis Conciliis in Eccleſia legitimè celebratis, parem honorem, venerationem, ac fidem habendam credo firmiter.* Sed

107. Quomodò id credit? Non capio, cum approbet Concilium Baſileënſe à Concilio Florentino Oecumenico reprobatum, & hoc ipſe reprobet in eo puncto, quo illud approbat, ut infrà *n.* 145. & 220. videbimus. Deinde id non credit, niſi ſub hac implicita conditione: *Si eorum fidei definitiones*

*pro-*

*probentur contineri in Scriptura & Traditione*, juxta ejus *Regulam* 7. vel *ſi probentur à Deo revelata, eſſe Verbum Dei*, &c. juxta id, quod iſti Regulæ ſubdit: *quia eſſe de fide, idem eſt, quod eſſe à Deo revelatum, ſeu Verbum Dei: omne autem Verbum Dei continetur in Scriptura & Traditione.* Et infrà: *omne autem, quod fidei eſt, continetur in Scriptura vel Traditione.* Unde ad *Regulam* 8. ſic ſcribit: *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certa & infallibiles, quàm ipſum Evangelium: nihil enim intereſt, an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcripto traditum: hoc ſenſu Pontifex Gregorius confitebatur quatuor primis Conciliis Generalibus non minorem deberi honorem, quàm quatuor Evangeliis.* Ex quibus patet, alteram fidei D. Buſcumii *pag.* 29. *ſua defenſionis* confeſſionem eſſe iſti abſimilem & truncatam, ad illamque, quam non retractat, & non retractatam compatitur, eſſe revocandam.

108. Propter hæc autem verba, *nihil enim refert*, &c. *hôc ſenſu*, &c. & ſenſum, quo credit, ante datum: hîc omninò attendere oportet, quod (conſequenter ad ea, quæ deſuper habet Regula 7. *Ad demonſtrandum aliquid eſſe, vel non eſſe de fide, requiritur, & ſufficit, probare, quod contineatur vel non contineatur Scripturâ vel Traditione*, prout illam explicat ad Regulam 2. *Verbo dei*, &c. tamquam ejus *principio*, juxta ipſius *Regulam* 2. paulò ante citatam, *claro & expreſſo*, quale debere eſſe *principium* abſolutè & ſimpliciter ſumptum, prout ſumit, diximus *Examine* 1.) ibi ſubaudire debeat: *Si probentur contineri in Scriptura, vel Traditione, Verbo Dei tamquam eorum principio claro & expreſſo*: alioqui, inquit *Regula* 7. citata, *Si aliquid probetur, non contineri in Scriptura vel Traditione* (utique *Verbo Dei* tamquam *ejus principio claro*) *demonſtratur non eſſe de fide. Hôc modô demonſtratur non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas*, &c. *Canonizationes Sanctorum, item deciſiones & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti.*

109. Ubi; quia has *quæſtiones facti* non excipit, *An Sriptura, an Traditio, quam fide certa tenemus, ſit verè Verbum Dei. An Concilium Generale ſit legitimum. An in Concilio quovis ſit legitimè damnata hæreſis Pelagii*, & ſic de aliis dogmaticis, quæ ſimpliciter, ut loquitur *ſunt facti*; ſic demonſtrando deciſiones & definitiones, quæ ſunt *de quæſtionibus facti*, non eſſe de fide, ſalvo meliori judicio, conſequenter demonſtrat, nec *Scripturam*, nec *Traditionem*, nec *Conciliorum Generalium definitiones, nec hæreſeon & hæreticorum condemnationes*, eſſe de fide, ac ſic *nullam eſſe in Ecceſia fidem Divinam*, nec *ullam Dei Eccleſiam eſſe fide Divinâ credendam*, in quo eſt omnis hæreſis ſummarium.

110. Quid ad hæc? Non quæro, quid interiùs intendat; ſed quid exteriùs ex ejus ſcriptis ſequatur: neque ut mihi ſuos alleget fautores; ſed ut argumentum illud ſolvat D. Buſcumius, cujus, non aliorum, *Inſtructionem, & Defenſionem* examino: recordetur tamen, quod Petrus Chriſtum ad galli cantum ter negârit, nè ipſe Eccleſiam ad heterodoxi galli patrocinium.

111. Licet tamen *illas*, imò etiam Canonizationes Sanctorum, & Deiparæ Immaculatam Conceptionem exciperet, adhuc tota eius *Regula* eſſet Dei Eccleſiæ & fidei Catholicæ valdè pernicioſa, dum fidem habendam

Conci-

ConciliorumGeneralium deciſionibus & definitionibus ſubjicit convictioni Theologorum, imò etiam unius Tyronis Theologi, cui Regulas ſuas ſcribit; quia indè natæ ſunt ſequi tot rebelliones contra Eccleſiam, quot capita, quibus non probabitur, veritates in Concilio Generali legitimo definitas contineri in *Scripturâ & Traditione Verbo Dei, tamquam ejus principio claro & expreſſo*, ut vidimus, & quas, juxta ſuum rebelle capricium, probabunt, non contineri in *Scriptura vel Traditione Verbo Dei, tamquam ejus principio claro & expreſſo*. Vide dicta *n.* 28. & 44.

112. Audiat, obſecro Auguſtinum lib. 1. contra Creſconium cap. 30. *Quamvis hujus rei* (non baptizandos eſſe hæreticos) *certo de Scripturis Canonicis, non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re* (nota) *in qua non profertur Scripturæ exemplum, à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſa jam placuit Eccleſiæ* (utique licèt Domino Buſcumio non probetur, aut non probet, contineri in *Scriptura*, & idem eſt proportionaliter de *Traditione Verbo Dei* uti *Regula* 2. explicat) *quam ipſarum Scripturam commendat authoritas, ut, quoniam Sancta fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, camdem Eccleſiam de illa conſulat*, &c.

113. Item *de veritate Eccleſiæ contra Epiſt. Petiliani* cap. 13. *Dicat mihi nunc hæreticus, quomodò me ſuſcipis? Citò reſpondeo, ſicut ſuſcipit Eccleſia, cui Chriſtus perhibet teſtimonium. Numquid* (nota quomodò dictam probationem explodit) *tu melius potes noſſe, quomodò ſuſcipiendus ſis, quàm Salvator noſter medicus vulneris tui? Hic fortè dices: lege ergo mihi quemadmodum Chriſtus ſuſcipi juſſerit eos, qui ab hæreticis tranſire ad Eccleſiam volunt. Hoc apertè atque evidenter, nec ego lego, nec tu: nunc vero cum in Scripturis non inveniamus*, &c. *puto, ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus teſtimonium perhiberet, & de hac quæſtione conſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus, id facere, quod ille dixiſſet, nè non tàm ipſi, quàm Domino Ieſu Chriſto cujus teſtimonio commendabatur, repugnare diceremur: perhibet autem teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ.*

114. Imò & D. Thomam Quodlibeto 9. artic. ultim. dicentem: *Certum eſt, quod judicium Eccleſiæ univerſalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impoſſibile eſt: undè magis ſtandum judicio Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quam quorumlibet ſapientum in Scripturis opinioni.* Sed maximè Gelaſium Papam Epiſt. 4. ad Fauſtum, cujus verba habes infrà *n.* 198. ac alios *n.* 194. *ad* 200.

115. Numquid D. Buſcumius in præmiſſis hunc antiquitatis tramitem relinquit, & Theologos ad neceſſitatis probandi, decreta Conciliorum Generalium & Pontificum eſſe, vel non eſſe, contenta in Scriptura vel Traditione, fabulas aniles convertit, undè inſultare poſſunt, hæretici Catholicis, & audaciores reddi iſtis Regulis & documentis, & ab illis ſcandalizati nequitiæ ſeu pertinaciæ ſuæ incrementum capere? Numquid ſuarum Regularum & documentorum confuſionibus, & Eccleſiæ Dei inſolitis ſubtilitatibus, vix intelligibilis factus eſt, de quibus tamen *Regula* 4 Scholaſticos

laſticos arguit? Numquid in ſuis Regulis recentiores Gallos *cum antiquioribus Patribus æqua lance ponderat, eorumvè placita Patrum ſententiis opponit, qui novas doctrinas, & olim inauditas, edunt, in ſuis adinventionibus gloriantes, nullâ habitâ ratione antiquitatis*? Sed, cum ſcommata hic effutita in Scholaſticos excuſet *in Defenſione ſua pag.* 49 per dicta *Regulâ* 3. licèt malè; quia ſunt diſparata: mihi ſatis eſt, dum de ſola ejus mente *Quæſtiones* pono, inſinuaſſe, quàm facilè omnia, quæ in Scholaſticos contorſit, in ipſum poſſe in materia fidei, periculoſâ magis, retorqueri.

116. Dicit quidem ad Regulam 8. *Tamen hoc ſpeciale eſt in Theologia, quod ipſius principia ab Eccleſia infallibili authoritate proponantur, definiantur, determinentur.* Sed ùt *n* 99. & *toto Examine* 2. vidimus, totam illam infallibilitatem refundit in *Verbum Dei ſcriptum, aut ſine ſcripto traditum*; ideóque nihil indè contra præmiſſa evincitur. Cur autem D. Buſcumius Conciliis Generalibus omnem adimeret authoritatem infallibilitatis, præterquam *Verbi Dei ſcripti, aut ſine ſcripto traditi*, non video, niſi forſitan, ut à fortiori illam extra Concilium Generale adimeret Summo Pontifici in Janſenii quinque Propoſitionum condemnatione, Sanctorum Canonizatione, &c. eò quòd à Conciliorum Generalium infallibilitate ad Summi Pontificis extra Concilium Generale infallibilitatem eſt legitima ſequela, ut infrà videbimus.

## *QUÆSTIO. IV.*

117 Q*Væritur quartò.* An judicet D Buſcumius, primum & originale principium omnium obſcurè & æquivocè in *Scriptura & Traditione* contentorum, *quæ* poſt Conciliorum Generalium ſub infallibili, nè errent, Spiritûs S. aſſiſtentiâ explicationes, definitiones, determinationes, *fide divinâ credimus*, eſſe Traditionem illam, in qua obſcurè & æquivocè continentur.

118. Si affirmet: primum & originale principium eorum quæ fide divinâ credimus, ſtatuit ipſum obſcurum, æquivocum, & ante Concilii Generalis explicationes, definitiones, determinationes, incertum ac indeterminatum, dum controverſia eſt de ipſa *Traditione*, obſcura, incerta & indeterminata, quod, in ſimili de *Scriptura*, contra Lutheranos & Calviniſtas, totius Eccleſiæ Catholicæ judicio, non eſt ſufficiens; quia obſcurum, æquivocum, incertum & indeterminatum, nec benè, nec ſatis per obſcurum, æquivocum, incertum & indeterminatum originale principium explicatur, definitur, determinatur: alioquì fruſtrà ſunt omnia Concilia Generalia, omneſque eorum explicationes, definitiones, determinationes eſſent in ſuo originali principio, à quo per D. Buſcumium peti debent, juxta id, quod addit ad Regulam 7. *Vt dictum eſt ſub Regula ſexta à traditione peti debet ſenſus & ſpiritus S. Scripturæ*, obſcuræ, æquivocæ, incertæ, & indeterminatæ, quod ſola earum lectione apparet evidenter falſum, & conſtat utrumque eſſe hæreticum,

119. Si

119. Si neget: omnium obſcurè & æquivocè *in Scriptura & Traditione* contentorum, à nobis, poſt Conciliorum Generalium ſub infallibili, nè errent, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ explicationes, definitiones, determinationes, fide divinâ creditorum, aliud, præter *Traditionem*, conſignare debet primum & originale principium, videlicet infallibilem, nè in iſtis errent, Spiritûs Sancti aſſiſtentiam, à qua, non à *Traditione* in ſe & ſuo ſenſu obſcura, æquivoca & indeterminata, illorum *explicationum, definitionum, & determinationum* infallibilitas peti debet: nam, quod de *Scriptura* ad Regulam 6. dicit, *cum enim ipſa ſibi Scriptura, quantumcumque legatur, & teneatur, ad propriam ſui dilucidationem non ſufficit*, in *Traditione* obſcura, æquivoca, incerta & indeterminata locum habet: undè parum conſideratè immediatè addit: *neceſſe eſt illam conferre cum Traditione:* nam ſi hæc talis eſt, ut diximus, qualem ipſam Scripturam dicit, uti nec ad propriam, ità nec ad Scripturæ obſcuræ, æquivocæ, incertæ & indeterminatæ infallibilem ſufficiet *explicationem, definitionem, & determinationem*, ut patet.

## *QUÆSTIO V.*

120. QUæritur quintò. An D. Buſcumius his verbis: *Per hoc enim cognoſcimus, Scripturam eſſe Verbum Dei; quia Eccleſia, per Traditionem inſtructa, ſic definit, & declarat hos libros à Spiritu Sancto dictante eſſe conſcriptos: ita ut primum & originale principium omnium eorum, quæ fide divinâ credimus, ſit Traditio.* Hôc ſenſu intelligat: *quia Eccleſia per Traditionem*, ſeorſim ab infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ acceptam, *inſtructa ſic definit*, &c.

121. Si affirmet: nihil, præterquam *Traditionis*, in Eccleſia & Conciliis Generalibus agnoſcit infallibilitatis, quod eſſe hæreticum dixi: quia, ſi *Scriptura & Traditio* ſint obſcuræ, æquivocæ, incertæ & indeterminatæ, infallibili in Eccleſia, & Conciliis Generalibus Judici, infallibiliter explicanti, definienti, determinanti, non aliam tribuit infallibilitatem, quàm obſcuræ, æquivocæ, incertæ & indeterminatæ *Traditionis*, illumque eſſe ſuperfluum & inutilem, virtualiter aſſerit: quæ omnia ſunt evidenter hæretica. Vide *n.* 49.

122. Si neget: debuiſſet addere iſtam infallibilitatem, & hoc modo ſuam formare rationem: *quia Eccleſia per Traditionem, & infallibilem nè erret, Spiritûs ſancti aſſiſtentiam, inſtructa ſic definit*, &c. ſed hoc addere non potuit, ſtante veritate, quam prætendit, ſuarum quinque priorum *Regularum*, ut *Examina* præmiſſa conſideranti patebit. Undè quod hic, aut in illis, & ſic hic, & in illis, erraverit, non obſcurè deducitur, præſertim, cum ità ſuis Regulis inhæreat, ut in earum *Defenſione* dicat: *Poteramnè.* Vide infrà *n.* 151.

123. Verum quidem eſt, quod ad *Regulam* 2. dicat: *Peti autem debet Traditio ex Conciliorum & Pontificum decretis & SS. Patrum & antiquorum libris.* Sed quid,

quid, ſi ante illa, aut etiam poſt illa, fuerit in Eccleſia quæſtio de Traditione obſcura, æquivoca, incerta, & indeterminata? An illa per *Traditionem* hanc, ſeorſim ab infallibili, nè errent, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ acceptam, inſtructa, dictam quæſtionem infallibiliter definient, & declarabunt? Sive affirmet, ſive neget, præmiſſas incurrit difficultates: quibus providiſſet, & cavere potuiſſet, ſi *Regula* 6. inter diſpoſitiones *ex parte Theologi neceſſarias ad intelligentiam Verbi Dei*, tertiam hoc modo expreſſiſſet: *Tertia diſpoſitio, eaq; certiſsima, eſt attenta conſideratio Traditionis ab Eccleſia ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſsiſtentiâ explicata, definita, determinata*: non verò hoc modo: *Tertia diſpoſitio, eaq; certiſsima, eſt attenta conſideratio Traditionis* præcisè, uti eam exprimit. Vide dicta *n.* 112. *ad* 115. & pro reſponſi ejus præoccupatione præmiſſa *n.* 108 *ad* 117.

124. Ratio eſt: quia, ſi hæc obſcura, æquivoca & indeterminata ſit, ipſum magiſtrum cum diſcipulis, quos inſtruit, in eum inducit abuſum, quem *Regula* 5. carpit, his verbis: *Abuſus hujus Regulæ communis eſt, imprimis omnibus hæreticis, qui & falſa ſua dogmata tutò pro fide valeant deprædicare, ea obſcuris Scripturæ Sacræ* (tu dic ad ſubjectam materiam *Traditionis* à pari) *involucris velare ſtudent.* Et meritò timere debet, cum ſit Pœnitentiarius, Paſtorum, Confeſſariorum, & Ordinandorum Examinator ordinarius, nè in ipſum etiam retorqueatur id, quo alios impetit *ibidem* ſcribens: *Quibus, ut olim Phariſæis, ita nunc maximè exclamat veritas*: Væ vobis Legiſperitis; quia tuliſtis clavim ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. *Lucæ* 11. Vide Lirinenſem *n.* 83. ſibique utiliùs ſubdidiſſet (quod in ipſum retorqueo, ex dictis ibidem) *ſatis deplorari non poteſt, quanta ubique erit, attentâ meâ præcisâ* diſpoſitione 3. *Theologorum ignorantia, faſtidium, & contemptus Verbi Dei ſine ſcripto traditi* (ſive Traditionis Divinæ ut ab Eccleſia infallibiliter, ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ, explicatæ, definitæ, determinatæ, cum *Examine* 1. oſtenderimus, ipſum non poſſe, ſiſtendo in ſuis expoſitionibus, hanc intelligere) quàm id, quod *ibidem* ſubdidit.

# EXAMEN IV.

## *Super Regula 7.*

### D. BUSCUMIUS.

125. REgula 7. *Ad demonſtrandum aliquid eſſe, vel non eſſe de fide, requiritur & ſufficit probare, quod contineatur, vel non contineatur Scripturâ, vel Traditione.*

126. *Ad demonſtrandum verò aliquid eſſe, vel non eſſe hæreticum, requiritur & ſufficit probare, quod repugnet, vel non repugnet Scripturæ, vel Traditioni.*



127. Ad-

127. Addit primò pro ratione: *Ratio primæ partis eſt clara: quia eſſe de fide, idem eſt, quod eſſe à Deo revelatum, ſeu Verbum Dei: omne autem Verbum Dei aut continetur in Scriptura, aut Traditione, ergo eô ipsô, quô probatur aliquid contineri in Scriptura, vel Traditione, evidenter convincitur eſſe de fide.*

128. *Similiter ſi aliquid probetur non contineri in Scriptura, vel Traditione, demonſtratur non eſſe de fide.*

129. *Hôc modô demonſtratur, non eſſe de fide, aut fide divinâ credendas revelationes Brigittæ, Hildegardis, Malachiæ Epiſcopi, &c. item Canonizationes Sanctorum, item deciſiones & definitiones Eccleſiæ etiam in Concilio Generali de quæſtionibus facti: item ea, quæ permittuntur per Eccleſiam à fidelibus piè credi, probari tamen non poſſunt contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis; quod quidem ob multas rationes ſuſtinetur ut verum, ſed defectu Scripturæ, & Traditionis de fide eſſe non poteſt.*

130. *Ratio ſecundæ partis eſt: quia hæreticum dicitur omne, quod eſt contra fidem, vel quod repugnat fidei: omne autem quod fidei eſt, continetur in Scriptura vel Traditione; ergo eo ipſo, quòd probatur aliquid repugnare Scripturæ, vel Traditioni, demonſtratur eſſe contra fidem, ſeu hæreticum.*

131. *Similiter, ſi aliquid probetur non repugnare Scripturâ, vel Traditioni, demonſtratur non eſſe hæreticum.*

132. *Ex quo patet à Scholaſticis ſuſtineri multas propoſitiones hæreticas, eas nempe, quæ probantur repugnare Scripturæ, vel Traditioni, etiamſi ab Auctoribus ob multas ratiunculas habeantur probabiles: quantumcumque enim magna ſit probabilitas, illa non tollit repugnantiam cum fide; quæ enim ſemel hæretica ſunt, ſemper ſunt hæretica.*

133. Addit ſecundò ad Regulam 8. *Alii addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quandò ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit; ſed quia illum non admittunt graviſſimi Pontifices, & Doctores, & contrarium cenſerunt Patres Concilii Baſilienſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum præteribimus, hîc ſolùm aſſerentes ea, quæ certa ſunt, & extra omnem controverſiam.*

# AUTHOR

134. QUæſtiones ſuper ſenſu horum verborum *Scripturâ vel Traditione*, jam aliquoties, & ſufficienter motæ ſunt ſuprà: ſive autem *Scripturam* & *Traditionem* accipiat præciſè ſecundum ſe, & ſeorſim ab Eccleſiæ infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ, ſive conjunctim, & ut ab Eccleſia ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ, explicatam, definitam, determinatam, ſuas graves, attentâ materiâ *Libelli*, ſive *Inſtructionis* D. Buſcumii *ad Tyronem Theologum*, patitur difficultates, uti hucuſque vidimus: quarè, illis hîc prætermiſſis. Sit

QUÆ-

## QUÆSTIO. I.

135. QVæritur primò. An D. Buſcumius judicet, *eſſe fidei Traditionem*, quòd Chriſtus in Petro dixerit omni legitimo Petri ſucceſſori illud Matth. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis?*

136. Si affirmet: Conſequenter judicare debet, *eſſe fidei Traditionem*, eſſe in omni legitimo Petri ſucceſſore illam ipſam in Eccleſia poteſtatem, quam Petrus verbis iſtis à Chriſto accepit: Petrum autem verbis iſtis à Chriſto accepiſſe authoritatem per ſe extra Concilium Generale infallibiliter explicandi, definiendi, determinandi controverſias fidei, eſt fidei Traditio; nam omnia Concilia Canonica à ſummo Pontifice abſente ſuam petiverunt approbationem & confirmationem, aut fuerunt repudiata ut conciliabula, eamque, in qua tamen eorum infallibilitatis tota vis, extra Concilium Generale dederunt. Deindè à Petro ad Clementem X. per omnia ſæcula, uti in *Viſione Eliæ* probavi, Summi Pontifices extra Concilium Generale fidei decreta condiderunt, quæ à nullo unquam Concilio Generali Canonico, *ut fidei*, reprobata, aut oppoſiti definitione fuerunt correcta. Denique non eſt SS. Patrum liber, aut antiquorum Orthodoxus, qui id examinans, Summo Pontifici non tribuat prædictam S. Petri authoritatem, aut affirmet controverſiæ fidei *explicationem*, *definitionem*, *determinationem* à Summo Pontifice extra Concilium factam authoritate, quam S. Petrus à Chriſto accepit, ſive Cathedræ S. Petri & Supremi Eccleſiæ Capitis, non eſſe fidei, quidquid ſit de illo ut perſona privata & ſingulari preciſè: ac proindè oppoſitum ſine fidei errore, contra iſtam Traditionem, quam D Buſcumius *ibidem* vocare debet *Divinam, quæ eſt Verbum Dei non ſcriptum, & continet ſub ſe omne illud, quod Deus revelavit, & de manu ad manum ad nos uſque pervenit, abſque eo, quod à Spiritu Sancto dictante ſcriptum ſit*, defendi non poteſt. Vide infrà *q.* 2.

137. Si neget: Traditionem Divinam cum hæreticis negat, ut ſtatim vidimus, aut oppoſitum efficaciter probare debet, quod poſſe è contra negamus, cum id etiam explodat Auguſtinus *lib. 4. contra 2. Epiſt Pelag.* dicens: *quaſi nulla hæreſis aliquandò, niſi Synodi congregatione damnata ſit, cum potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas talis neceſſitas extiterit.* Et D. Baillius Pariſienſis Doctor celeberrimus, *Tom. 1 Compendii Conſil. in Tract. de triplici Verbo Dei*, ſcribat: *Cum prima ſæcula Eccleſiæ ſine Conciliis Generalibus extiterint*, &c. *propthereà meliùs cenſent alii à Chriſto, proviſum eſſe Eccleſiæ, dum aſſerunt, Pontificem loquentem de rebus fidei ex Cathedra, nec falli, nec fallere.* Sed de hoc ſtatim. *q.* 2. plures & efficaciores dabimus authoritates.

## QUÆSTIO. II.

138. Quæritur ſecundò: An D. Buſcumius ſentiat, Concilia Generalia, ſine approbatione & confirmatione Summi Pontificis, eſſe in ſuis fidei controverſiarum *explicationibus, definitionibus & determinationibus infallibilia?*

139. Si affirmet: In fide errorem contra *Traditionem Divinam*, ut ſuprà, *n.* 136. committit, & cum hæreticis impingit contra Florentinum ſeſ. 7. *Quoties aliqua de fide oritur dubitatio, Romanus Pontifex debet, ac tenetur, illam declarare, atque, illo docente, omnes Synodi, atque Eccleſia univerſalis debet hujuſmodi veritatem ſequi, & hoc dicit Epiſtola recitata* (puta Agathonis Papæ,) *approbata in VI. Synodo. Et in* litteris unionis: *Definivimus, S. Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem, in univerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum, ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*, &c. Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. *Cum de neceſſitate ſalutis exiſtat, omnes Chriſti-fideles Romano Pontifici ſubeſſe, pro ut Divina Scriptura & Sanctorum Patrum teſtimonio edocemur, ac Conſt. felic. mem. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, quæ incipit* unam Sanctam *declaratur: pro eorundem fidelium ſalute, ac Rom. Pontificis authoritate, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ unitate & poteſtate, Conſtitutionem ipſam, Sacro præſenti Concilio approbante, innovamus, & approbamus.*

140. Item in *Epiſtolam* contra Eutychem *inſertam* Concilio Chalcedonenſi p. 1. cap. 15. *In omnibus hortamur te, Frater venerabilis, ut his, quæ à beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem: nos enim pro ſtudio pacis & fidei extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi, cauſas fidei audire* (nota: multò minus definire) *non poſſumus.*

141. Imò & contra antiquum Facultatis Parienſis decretum apud Mauclerum p. 4. lib. 8. cap. 6. *Firmiter tenendum eſt, Hierarchiam Eccleſiaſticam, quam politiam nonnulli vocant, jure Divino eſſe inſtitutam, cujus quidem Hierarchiæ Eccleſiaſtica jure Divino Monarchica poteſtas eſt Papalis.* Quarè ipſe Mauclerus p. 2. lib. 4. cap. 4. col. 502. *Schiſmatici & impii, quicumque in illum decreti Pontificii murum inexpugnabilem contenderint, rebelles jure meritiſſimo cenſebuntur.* Quidni & contra D. Thomam, qui *q.* 10. *de potentia art.* 4. *ad* 13. tenet a Concilio Generali legitimè congregato licere ad ſummum Pontificem appellare, idque probat ex *geſtis* Concilii Chalcedonenſis, ubi *act.* 16. Summi Pontificis Legati a Concilio ad Leonem 1. appellarunt; à ſententia autem fide certa appellare nefas. Unde Epheſinum 11. fuit quidem a Leone inductum, uti & Baſileëenſe ab Eugenio IV. ſed propter errorem non confirmatum.

142. Si

142. Si neget: Non eſt alia ratio, præter illam, quam dat Gerſon in *Tract. de poteſtate Eccleſ.* conſid. 10. *Poteſtas Apoſtolica in ſua plenitudine eſt formaliter & ſubjectivè in ſolo Romano Pontifice*, &c. conſequenter ad Scripturam *Matth.* 16. ſuprà *q.* 1. citatam, quæ evidenter concludit, non minùs Summum Pontificem, abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum, etiam Concilii Generalis, poſſe aliquid infallibiliter definire, quàm ipſos è contra, abſque Summi Pontificis conſenſu & approbatione, nihil poſſe infallibiliter definire: qui autem *de hoc dubitat, & adhuc ex ſuis principiis eruendum* dicit, de veritate Traditionis Divinæ & Conciliorum Generalium definitionis expreſſæ, ut vidimus hîc & *q.* 1. *dubitat, & adhuc ex ſuis principiis eruendam* dicit, quod omnium Orthodoxorum judicio eſt hæreticum, juxta *cap.* 1. de hæreticis: *dubius in fide hæreticus eſt.*

143. Sed quid ad hoc, quod D. Buſcumius ad *Regulam* 8. ſcribit: *Alii addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quandò ſolus Pontifex, abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit: ſed quia illum non admittunt graviſſimi Pontifices, & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Concilii Baſileenſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum, hic præteribimus, hic ſolùm aſſerentes ea, quæ certa ſunt, & extra omnem controverſiam?*

144. Quid etiam ad hoc, quod ſuæ *Defenſionis* pag. 25. *Socios habeo, quotquot pro iſta ſententia allegant Ioannem XXII. Clementem V. Innocentium III.* &c. *& denique, ut omittam alios, Adrianum V. qui in 4. ſententiarum artic.* 3. *de Sacram. Confirm. hæc ſcribit*: Certùm eſt, quod Romanus Pontifex poſſit errare, etiam in his, quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem, aut decretalem aſſerendo. Plures enim fuerunt Pontifices hæretici *Quid diſertiùs.* Et infrà: *Definivit nè fortaſſis Eccleſia, fide Divinâ tenendum eſſe*, quod ſolus Pontifex, abſque Concilio ſit infallibilis? *tantum abeſt* &c. Infrà autem: *Non poteram tamquam certum & de fide determinatum proponere, quod ex Theologiæ principiis necdum conſtabat, eſſe infallibiliter definitum?*

145. Reſpondeo ad 1. D. Buſcumium ibi errorem malè propugnare reprobatâ authoritate *Concilii Baſileënſis*, & cum *ad Regulam* 7. ſcribat. *Hoc modo demonſtratur, non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas* &c. *Item ea, quæ permittuntur per Eccleſiam à fidelibus piè credi, probari tamen non poſſunt contineri in Scriptura vel Traditione v. g. myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, quæ quidem ob multas rationes ſuſtinetur ut verum, ſed defectu Scripturæ & Traditionis de fide eſſe non poteſt.* Ipſe, attento eo, quod docet *infrà n.* 176. & hanc Concilii Baſileënſis, quod approbat, ut vidimus, definitionem *ſeſ.* 26. anno 1439. *Nos diligenter inſpectis authoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriuſque doctrinæ coram hac ſancta Synodo allegata ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & maturâ conſideratione penſatis, doctrinam illam differentem, Glorioſam Virginem Dei Genitricem Mariam, præveniente & operante Divini Numinis gratiâ ſingulari, numquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato; ſed immunem ſemper* (nota) *fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam,*

tan-

*tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, diffinimus & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere*, in iſtius Concilii Generalis, quod approbat, definitionem, per ipſum (de hac erroneè) *adeò certam & infallibilem ac ipſum Evangelium*, ut docet *infrà n.* 176. impegit permanifeſtam contradictionem; ac proindè mirum non eſt, quod ità in Bullam Alexandri VII. *pro Immaculata Conceptione* impegerit: præſertim cum eâ ratione, quâ in puncto allato Baſileënſe veneratur Concilium, Florentinum habeat de legitimitate ſuſpectum & dubium.

146. Reſpondeo ad 2. A me non quæri, quid de fide nonnulli ſenſerint: quia in omni fidei controverſia dantur diverſorum diverſi ſenſus ex diverſis principiis non ſatis perpenſis, aut penetratis; ſed quid hîc & nunc de fide tenendum; oppoſitum Pontifices privatâ authoritate ſenſerint ad Divinam Traditionem non ſatis attenti; oppoſitum illegitimè definierint Patres Baſileënſes legitimè reprobati; oppoſitum ſuſtineant nonnulli Galli, magis in Janſenium, quàm Cathedræ Petri infallibilitatem, affecti: nihil ad me. Vide ſupra *n.* 112. *ad* 115.

Ratio eſt: quia quæro, an non ſit Traditio Divina de fide certò tenenda, quod S. Petrus ut caput Eccleſiæ, ſolus, abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum prævia, aliquid definierit, aut ſaltèm definire potuerit, infallibili fide Divinâ credendum?

147. Si neget: Oſtendat, in quo Concilio Generali definierit S. Petrus hanc veritatem: *Verbum autem Domini manet in æternum: hoc eſt autem verbum, quod Evangelizatum eſt in vos.* Epiſt. 1. Petri 1. Item Epiſt. ejuſdem 2. cap. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*, & quod iſtæ veritates non ſint Traditione Divinâ certò credendæ. Numquid fortè juxta D. Buſcumium in Concilio Jeroſolimitano 4. tantum Apoſtoli congregati Petrus, Jacobus, Paulus & Barnabas mentiri potuerunt *Actorum* 15. ducentes: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*? Abſit: Summus Pontifex autem definiens ſemper plures habet Aſſeſſores, & ſenſa eorum, qui intereſſent Concilio Generali, & a communi Doctorum recedere non ſolent, habere poteſt ex horum libris impreſſis.

148. Si affirmet: Numquid Traditione Divinâ, de fide certò credendâ, conſtat, omnem Summum Pontificem Legitimè electum eſſe legitimum S. Petri in Cathedra & authoritate Succeſſorem, ac per conſequens eſt evidentiſſimum, poſſe ſolum, inſtar S. Petri Apoſtoli, ut Caput Eccleſiæ, abſque conſenſu, & approbatione aliorum Antiſtitum præviâ, aliquid definire infallibili fide divinâ credendum? Affirmare debet, nè conſequens neget evidentiſſimum: hoc tamen affirmando, evidenter convincitur, ipſum, & omnes, quos pro ſe citat fautores, in eo errare, ſaltèm materialiter, contra *Traditionem Divinam*, de fide certò tenendam.

149. Num-

149. Numquid hoc ſuadet neceſſitas infallibilis unius, & ſolius, controverſiarum fidei Judicis, ſive in Concilio Generali, ſi inter ſe diſſideant Patres, his opponentibus ſuffragiorum pluralitatem, illis verò ſaniorem partem; ſive extra ab exemplo S. Petri, Eccleſiæ poſt S. Petrum huc uſque praxi, & neceſſaria ejus Conciliorum Generalium approbatione & confirmatione, quæ ipſi ſoli de plenitudine ſuæ ſupremæ in Cathedra Petri poteſtatis competit, ut omnes Orthodoxi fatentur? Si neget: iſtam Eccleſiæ infallibilitatem rejicit ut ſuperfluam, quod fateri debet eſſe indubiè hæreticum.

150. Definivit igitur Eccleſia *fide Divinâ tenendum eſſe, quod ſolus Pontifex abſque Concilio, ſit infallibilis*, in Florentino, Lateranenſi, & Chalcedonenſi ſupra *n.* 139. *&* 140. eo modo, quo Evangelium *Matth.* 16. exprimit, *quod S. Petrus ſe ſolo, abſque Concilio, ſit infallibilis*: non enim ſola verba, ſed quid ex verbis legitimè ſequatur, etiam attendi debet; *Deus enim*, ut ipſe fatetur ad Regulam 2. *loquendo, non tantùm revelavit ea, quæ nos expreſſis verbis, ut revelata tenemus, ſed etiam illa omnia, quæ in revelatis, continentur, & per conſequentiam ſequuntur.* Loquere proportionaliter de Concilio: *Concilium enim definiendo non tantùm definit ea* &c. Definivit quoque Tridentinum *ſeſ.* 4. *de Can. Script.* decernens: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit; & Traditiones prædictas* (quarum potiſſimæ ſunt à nobis ſuprà allatæ) *ſciens & prudens contempſerit: Anathema ſit.*

151. Quid autem obindè S. Sedes ſit judicatura de Doctrina poſt Tridentinum, & iſta Concilia, D. Buſcumii allata *n.* 133. ac inſuper de his ſuæ *Defenſionis pag.* 27. illam confirmantibus propoſitionibus, *definivitnè fortaſſis Eccleſia, fide divinâ tenendum eſſe*, quod ſolus Pontifex abſque Concilio, ſit infallibilis? *Tantùm abeſt* &c. Infrà: *Non poteram tanquàm certum proponere, quod ex Theologiæ principiis necdum conſtabat eſſe infallibiliter definitum, quale eſt præfata opinio, niſi voluiſſem ego Regulam meam convellere?* Judicium iſtud ſupra me eſt: hoc tamen puto, quod iſtam, & alias ſuas *Regulas* ſaniùs & conſultiùs omiſiſſet, & deteſtaretur, quàm defenderet.

## *QVÆSTIO. III.*

152. Q*Væritur tertiò.* An D. Buſcumius velit, Traditionem Divinam, *quod quando ſolus Pontifex, eo modo, quo S. Petrus, abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit, infallibiliter definiat, uti S. Petrus*, debere, non obſtantibus *ad q.* 2. præmiſſis, *ut dubiam, & adhuc ex principiis ſuis eruendam prateriri?*

153. Si velit: ſicuti iſtiuſmodi Traditionis divinæ, *q.* 2. *per totam* evidenter probatæ, infallibilem certitudinem tollit, ita & totius Eccleſiæ certam infallibilitatem, quod eſt evidenter hæreticum; & evincit clarè, omnes

ipſius

ipſius de Traditione *Regulas* eſſe de tali hæreſi ſuſpectas, uti clariùs patebit *Examine* 5.

154. Si nolit: fateri debet illud, quod ibi ſcripſit à variis judicandum fore hæreticum: an à S. Sede? Supra ſme eſt, ut dixi.

## *QVÆSTIO IV.*

155. Q*Væritur quartò.* An Dominus Buſcumius velit, controverſiam fidei, an hæc Scriptura Eccleſiaſtici 44. *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem, ſapientiam ipſorum narrent populi, & nomen eorum narret Eccleſia*, poſſit per bonam conſequentiam aut Traditionem, applicari infallibiliter S S. Hieronymo & Auguſtino, non poſſe à Concilio Generali infallibiliter explicari, definiri, & determinari?

156. Si affirmet non poſſe: Conſequenter affirmare debet, controverſiam fidei, an hæc Scriptura Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves Regni cœlorum*, &c. Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, poſſit per bonam conſequentiam, aut Traditionem applicari infallibiliter *Clementi* X. & omnibus Petri Succeſſoribus legitimis, Pontificibus Supremis, non poſſe à Concilio Generali infallibiliter explicari, definiri, determinari; quia in utroque caſu concurrunt humana teſtimonia & rationes: in primo quidem, circa vitæ probitatem & miracula, ſi requirantur: in ſecundo verò, circa Baptiſmum Pontificis electi & eligentium, ſive generaliùs circa legitimitatem electionis: hoc autem affirmare, eſt evidenter hæreticum, contra *Traditionem Divinam* Concilia & Patres, ut vidimus *q.* 2. tollitque fidei Divinæ certitudinem ab omnibus Conciliis Generalibus, & tota Eccleſia, defectu fidei certitudinis *de Capite*, quod etiam eſt evidenter hæreticum.

157. Dicit quidem D. Buſcumius *Defenſionis* ſuæ pag 20. *Iſtius ſententiæ, nè plures citem, eſt Bannes* 22. *q.* 1. *art.* 10. *dub.* 7. Temerarium eſt valdè, *inquit*, & ſcandaloſum, & hæreſim ſapit, quod Papa poſſit errare in Canonizatione Sanctorum. *Sed.* Quare, non damnantur hæreſeos aſſerentes? *Numquid hoc eſt Pontificiam authoritatem, ipſamq; Eccleſiam vilipendere?* Reſpondeo, *ait Bannes*: Nos ſequi in hac cenſura communem Theologorum ſententiam, præſertim D. Thomæ in *quodlib.* 9. *art. ult.* ubi ait *Canonizatio Sanctorum medium eſt inter duo, ſcilicet inter judicium Papæ de rebus fidei, & fallibile ejuſdem in Civilibus & criminalibus: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio fidei eſt, quâ Sanctorum gloriam credimus, piè credendum eſt, quod neque etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit.* Ita *D. Buſcumius ex Bannes.*

158. Sed contra: Neque D. Thomas, neque Bannes poſt D. Thomam, ibi negat utrumvis à nobis præmiſſorum, & multò minùs dictam de utroque allatam

troverſiam, poſſe à Concilio Generali, & hinc conſequenter, uti probavimus ſupra, à ſummo Pontifice extra Concilium Generale, infallibiliter explicari, definiri, determinari; cum D. Thomas ibi dicat: *Certum eſt, quod judicium Eccleſiæ univerſalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impoſſibile eſt: undè magis ſtandum judicio Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quàm quorumlibet ſapientum in Scripturis opinioni,* &c.

159. addit quidem: *In aliis verò ſententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de poſſeſsionibus, vel de criminibus, vel de hujuſmodi, poſsibile eſt judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes: Canonizatio verò Sanctorum medium eſt inter hæc* (nota) *duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam* (nota) *profeſsio fidei eſt, quâ Sanctorum gloriam credimus, piè credendum eſt, nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſe.* Sed hic mens D. Thomæ obſcura videtur: cum ex una parte de uno dicat *certum eſt*, & de altero *piè credendum eſt*, hocque referat ad *profeſsionem fidei*, quæ fide Divinâ credenda eſt: ac proindè cum ſequelam non poſuerim ab authoritate, ſed à convincenti ratione unum, æquè ac alterum, eſſe debere de fide; hæc ratio ad excuſandam hæreſim ſolvi debet non obſcurâ authoritate eludi; idemque dico de hoc argumento. Varia Concilia, ac nominatim Tridentinum *ſeſ.* 25. decreto *de invocatione, adoratiotione & reliquiis Sanctorum*, definiverunt, Sanctos eſſe invocandos, itaut oppoſitum ſuſtinere, ſit hæreticum: atqui per Canonizationem declarari debent Sancti; ergò eâdem fide obſervanda eſt canonizatio Sanctorum, quâ invocatio illorum, itaut oppoſitum ſuſtinere, ſit hæreticum. Vide Concilium Conſtantienſe *ſeſ.* 8. condemnans Wicleffum non abſimilia effutientem, & adde D. Thomam non debere intelligi de *pietate congruitatis*, ſed de *pietate neceſsitatis*; itaut oppoſitum ſit ſaltem impium, & implicitè hæreticum, quo ſenſu accipiendum puto, *hæreſim ſapiens*, de quo Bannez.

160. Si neget, non poſſe: conſequenterècontra affirmare debet, poſſe à Concilio Generali (ac per conſequens à Summo Pontifice extra Concilium Generale, ut patet ex præmiſſis) iſtiuſmodi controverſiam de quocumque homine probatæ vitæ, & miraculorum (dum hæc requiruntur) infallibiliter explicari, definiri, determinari. Undè (quidquid defendant aliqui) D. Buſcumius hanc *Inſtructionem* ſuam ad Regulam 7. *Hoc modo demonſtratur, non eſſe de fide credendas Canoninazationes Sanctorum* (ſi agat de horum Canonizationibus à Summo Pontifice extra Concilium Generale de fide ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, definitis) debet conſequenter negare ut hæreticam, & ad D. Thomam, & oppoſitæ ſententiæ alios, reſpondere nobiſcum, ut ſuprà.

## QUÆSTIO V.

161. **Q**Uæritur quintò: An D. Buſcumius, ſcribens: *Hoc modo demonſtratur, non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas deciſiones, & definitiones Eccleſiæ*

*cleſiæ in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*: velit definitiones Eccleſiæ in Concilio Generali congregatæ (de quibus *ad Regulam* 8. ſic ſcribit: *Sunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*) ſpectare ad hanc quæſtionem facti, *an ſint, an non ſint, implicitè ſaltèm, Verbum Dei ſcriptum, aut ſine ſcripto traditum*: ſic ut, dum *Regula* 2. dicit: *S. Theologia à duobus tantùm principiis eſt petenda, Scripturâ ſcilicet & Traditione*; idem dicere debeat de iſtis definitionibus?

162. Si velit: Definitiones illæ *demonſtrantur, non eſſe de fide* per ipſum, Regula 8. dicentem: *hoc modo demonſtratur non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas deciſiones & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali de quæſtionibus facti.* Et tamen ad *Regulam* 8. ſcribit: *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*: in quibus ab evidenti contradictione ſalvari non poteſt, niſi velit, *definitiones Conciliorum adeò certas & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*, & ipſum *Evangelium* (de quo eadem quæſtio facti, *an ſit, an non ſit Verbum Dei*, formari poteſt) *demonſtrari, non eſſe de fide aut fide Divinâ credenda.* Quod eſt evidentiſſimè hæreticum.

163. Si nolit: Nullam *quæſtionem facti in materia fidei* aſſignare poterit, quæ in illam evidenter non retorqueatur: & ſicut fateri debet, eſſe hæreticum dicere, *demonſtrari, non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas deciſiones & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali* de hac quæſtione facti, *an ſint, an non ſint implicitè ſaltem, Verbum Dei ſcriptum, aut ſine ſcripto traditum*; ità conſequenter id, quod dixit (ſi loquatur *de fidei quæſtione facti*,) eſſe hæreticum, uti & dicere, Summi Pontificis definitiones contra Janſenium *non eſſe de fide*, quia ſunt *quæſtionis facti*: quod ipſe fatetur, & ſic ſuæ Regulæ 8. iterum contradicit, dicens ſuæ *defenſionis* pag 22. *Proteſtor enim me quinque propoſitiones in illis damnatas, pariter damnare, & ut meritò damnatas rejicere*, utique *tanquam hæreticas* ad ſenſum Bullarum Innocentii X. & Alexandri VII. alioqui fraudulenter dumtaxat eas damnaret.

## QUÆSTIO VI.

164. Quæritur ſextò. An D. Buſcumius, ſcribens ad Regulam 8. *Tertiò utitur Eccleſia ſuâ infallibilitate, quandò communi conſenſu approbat contineri in libris S. Auguſtini Traditionem de gratia & prædeſtinatione*, velit, approbationem illam ſpectare ad hanc quæſtionem facti, *an Traditio de gratia & prædeſtinatione, in libris Auguſtini contenta, ſit, an non ſit Verbum Dei non ſcriptum*, quod *de manu ad manum ad nos uſque pervenit, abſque eo, quod à Spiritu Sancto dictante ſcriptum ſit*, prout de *Traditione* loquitur ad *Regulam* 2.

165. Si velit: Approbatio illa, aut eſt infallibilior deciſionibus & definitionibus Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali congregatæ, aut Eccleſia in illa non utitur ſuâ infallibilitate. Si priùs: illa communi conſenſu approbatio eſt infallibilior definitionibus, de quibus ad *Regulam* 8. ſcribit:

*Sunt*

*Sunt enim definitiones Conciliorum adeò certa & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*, ac ſic ipſo Evangelio, quod eſt hæreticum. Si poſteriùs: opponitur ei, quod dicit: *Tertiò utitur Eccleſia ſuâ infallibilitate, quandò communi conſenſu approbat contineri in libris Auguſtini Traditionem de gratia & prædeſtinatione*, niſi in iſto communi conſenſu includat Summi Pontificis *de iſta Traditione ut Verbo Dei*, &c. *contenta in libris Auguſtini*, ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, definitionem, ut vidimus *Examine* 3. Et hoc caſu, ſequitur, eſſe hæreticum, quod hîc ad *Regulam* 7. ſcribit: *Hoc modo demonſtratur, non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas deciſiones, & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*, ſi loquatur *de fidei quæſtionibus facti.* Uti &, quod à Janſeniſtis aſſeritur, *Pontificias definitiones contra Ianſenium non eſſe fidei*, quia ſunt *de quæſtione facti*, de quo ipſum vide ſuprà *q.* 5. *n.* 161.

166. Si nolit: Per ipſum non ſpectabit ad quæſtionem facti, *an in libro Cornelii Ianſenii contineantur hæreſes damnatæ.* Item, *an in illo contenta ſint, aut non ſint Ianſenii.* Item, *an ſint, vel non ſint ad ſenſum Ianſenii*: quia paria in doctrina D. Buſcumii *de Traditione in libris Auguſtini* concurrunt: ac ſic per ipſum ab hæreſi non excuſabuntur Janſeniſtæ, qui, prætextu definitionis Pontificiæ fallibilitatis in fidei *quæſtione facti*, definitiones contra Janſenium *eſſe fidei*, agnoſcere renuunt. Vide ipſum, dixi *q.* 5. *n.* 161. Intereà debebit aſſignare aliam *quæſtionem facti in materia fidei*, in qua iſtis ſimilia non concurrunt, ut verificetur hæc ejus doctrina: *Hoc modo demonſtratur non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas deciſiones & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*, ſi loquatur de fidei *quæſtionibus facti*, aut fateri hanc doctrinam eſſe hæreticam. Vide infrà *Examine V. q.* 4. *n.* 190.

## QVÆSTIO. VII.

167. Q*Væritur ſeptimò.* An D. Buſcumius *ad Regulam* 7. ſcribens: *Item ea, quæ permittuntur per Eccleſiam à fidelibus piè credi, probari tamen non poſſunt, contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. Myſterium Immaculatæ Conceptionis B. Virginis: quod quidem ob multas rationes ſuſtinetur ut verum, ſed defectu Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe non poteſt.* Velit, illud *non eſſe*, etiam authoritate Concilii Generalis legitimi, *de fide* definibile?

168. Si affirmet ſe id velle: vult, aut *Scripturam & Traditionem* in eo eſſe obſcuram & dubiam, aut in contrarium claram & certam.

169. Si priùs: velle debet controverſiam fidei ſuper *Scriptura & Traditione* nobis obſcura & dubia *non eſſe*, etiam authoritate Concilii Generalis, *de fide* definibilem, quod eſt hæreticum, contra praxim omnium Conciliorum Generalium, & ipſummet D. Buſcumium *ad Regulam* 6. ubi poſtquam dixit: *Cum in Scriptura & Traditione multa ſint difficilia intellectu, quædam tàm abſtruſa & myſtica, ut non labore & ſtudio ſolùm, verùm & ſpeciali lumine Spiritûs Sancti opus ſit, ut penetrentur.* Addit: *Præſcribunt autem S S. Patres Theologis tres*

 *velu-*

*veluti neceſſarias diſpoſitiones, quibus ad veram intelligentiam Verbi Dei, & ad penetranda Divina myſteria pervenire ſolent*; niſi velit, iſtas diſpoſitiones poſſe reperiri in Theologis, & non poſſe reperiri, etiam in Concilio Generali legitimo, etſi ei, non iſtis, Deus promiſerit infallibilem, ne erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiam, uti habet Traditio Divina ab omnibus Orthodoxis recepta; quod foret, non ſolùm inſulſiſſimum, ſed evidenter hæreticum, & pluſquam Lutheranum & Calvinianum.

170. Si poſteriùs: Sequitur Concilium Apoſtolicum, Synodum III. & VII. Generales, Concilium Baſileënſe, ( dum reveretur, & approbat, ut vidimus *n.* 145.) Tridentinum, Innocentium VII. Alexandrum V. Sixtum IV. Innocentium VIII. Julium II. Leonem X. Paulum III. Gregorium XIII. Clementem VIII. Paulum V. Gregorium XV. Urbanum VII. Alexandrum VII. Originem, Gregorium Neocæſarienſem, Athanaſium, Epiphanium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Baſilium, Auguſtinum, Cyrillum Alexandrinum, Ephrem, Ildephonſum, Damaſcenum, Bernardum, Anſelmum, Bonaventuram, & alios ( quorum omnium ſententias habes in noſtra *Viſione Eliæ diſp.* 3. *dub.* 7. citatas ) in eo per ipſum erraſſe contra *Scripturam & Traditionem* claram & certam, nec minùs dici poſſe hæreticos, quam ſint illi; qui contra claram & certam *Scripturam & Traditionem divinam ſponte errant*: quod, ſi dicat, evidenter impingit in bullam Alexandri VII. *de Immaculata Conceptione*. Sive tamen hoc poſterius, ſive illud prius affirmet, etiam aliunde in illam impegit, dum Concilii Baſileënſis, quod veneratur, *de Immaculata Conceptione* definitionem rejecit, pro qua, in quantum valde accommoda menti Alexandri VII. multum facit, nec magis in materia iſtius definitionis, licèt definitio illegitima ſit, ab eo rejici potuit, quàm ipſa Immaculata Conceptio, imò & quàm ipſa definitio ut Baſil. Concilii, cum illud ita veneretur, ut præferat Florentino. Vide dicta *n.* 145. 185. 191. & 220.

171. Si neget ſe id velle: velle debet id, *de fide eſſe poſſe* per definitionem Concilii Generalis, ac etiam Summi Pontificis conſequenter, etiam extra Concilium Generale, ut vidimus, & fuſiùs *Examine V.* videbimus. Hoc igitur vult, aut non vult? Si velit: noſtram ſequelam profitetur, ac per conſequens fateri debet, ſuam doctrinam ad ſenſum verborum eſſe in fide erroneam & hæreticam, ut ſequitur ex præmiſſis *n.* 169. pro 1. parte §. *ſi prius*. Si non velit: contra ipſum vim habent *ibid.* præmiſſa *n.* 170. pro 2. parte: & dum *ad Regulam* 6. ſcribit: *igitur neceſſe eſt, ut Theologus Traditionibus diligenter incumbat, ut cognoſcat, & percipiat, tàm verbum ſcriptum, quàm non ſcriptum, & utriuſque ſenſum & ſpiritum, ut, illis cognitis, ſciat obſcura explicare, & definire, jam non ex proprio placito, ſed ex ſenſu & ex ſpiritu verbi Dei per Traditionem examinati.* Virtualiter ſcribit, attentis præmiſſis: *neceſſe eſt, ut Theologus Traditionibus diligenter incumbat, ut cognoſcat, & percipiat, tàm Verbum ſcriptum, quàm non ſcriptum, & utriuſque ſenſum & ſpiritum* v. g. *in controverſia*

*de*

*de Immaculata* Dei*Conceptione,an ſit Verbum Dei ſcriptum,vel non ſcriptum,quod*(juxta 2. membrum) *nolo etiam à Concilio Generali ſic cognoſci,& percipi poſſe, ut, illô cognitô, ſciat obſcuram explicare & definire ſub infallibili, nè erret, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ: ſecus a Tyrone Theologo, ut, illô cognitô, ſciat* &c. Quis, tales Theologis *neceſſarias* eſſe *Inſtructiones*, non explodat?

172. Qui verò de his plura deſiderat videat, Librum noſtrum cui titulus, *Magni Prophetæ Eliæ Viſio de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione*, à qua *Viſione* enarrata 3. *Reg. cap* 18. *verſ.* 42. 43. 44. incæpit *de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione* omnium ſuprà nominatorum Traditio: de qua dum quæritur, *an ſit, an non ſit, iſti Scripturæ loco conformis*, indubiè eſt quæſtio fidei, quàm Concilium Generale, ac per conſequens Summus Pontifex, de fide definire poteſt, ut vidimus, & fuſiùs infrà *Examine V.* videbimus: in dicto autem *Libro* non ſolùm habes omnia, quæ concernunt *Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis myſterium*, & proximam ejus fide Divinâ definibilitatem; ſed & ea, quæ Summi Pontificis, etiam extra Concilium Generale, & in *quæſtionibus facti* ad fidem ſpectantis, concernunt infallibilitatem, cum ſolutionibus *Objectionum* deſumptarum ex Gallis, quos D. Buſcumius aſſumpſit Patronos, quibuſcum attendere deberet ad id, quod ſcribit Diana *p.* 11. *tract. ult.* de infallibilitate, &c. *Reſol.* 4. in fine: *Sicq; ſtando in noſtra ſententia ſequeretur, Almainum, Aliacenſem, & Gerſonem, & alios fuiſſe hæreticos. Sed reſpondeo negando conſequentiam: nam ipſi ſuam ſententiam non defenderunt cum pertinacia, quæ hæreſim conſtituit, & hæreticum facit; nota tamen in re Pontificia Aliacenſem, Gerſonem, & Almainum non eſſe tantæ authoritatis; quia tempore ſchiſmatum floruerunt, & ſcripſerunt: Duo priores, quando tres ſe pro Pontificibus gerebant; poſtremus verò, nempè Almainus, tempore Iulii II. & Conciliabuli Turonenſis, quo Gallia ſub Ludovico XII. à Sede Apoſtolica defecerat.* Undè ſatis liquet, ſcripta eorum contra *infallibilitatem* eſſe de zelo ſchiſmatico ſuſpecta.

# EXAMEN V.

## *Super Regula* 8.

### D. BUSCUMIUS.

173. REgula 8. *Ea, quæ ſemel infallibiter demonſtrata ſunt eſſe de fide, non ſunt ampliùs in quæſtionem vel diſputationem revocanda, ſed ut fieri poſſit, omnes, & dogmata, & tamquam certa Theologiæ principia in Cathologo aut volumine conſervanda.*

174, *Illa verò, quæ nondum infallibiliter demonſtrata ſunt eſſe de fide, à Theologis diſputari, & probari eò uſque debent, donec ab Eccleſia definiantur.*

175. Ad-

175. Addit infrà: *Vtitur autem Eccleſia infallibili hàc ſibi à Chriſto relictâ authoritate, tam in dubiis, & quæſtionibus fidei definiendis, quàm erroribus, & hæreſibus anathematizandis, tribus modis.*

176. *Primo: quandò ipſa in Concilio Generali congregata definit; ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certa, & infallibiles, quàm ipſum Evangelium: nihil enim intereſt an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcripto traditum. Hoc ſenſu Magnus Pontifex Gregorius confitebatur, quatuor primis Conciliis Generalibus non minorem deberi honorem, quàm quatuor Evangeliis.*

177. *Secundo modo utitur Eccleſia ſua infallibilitate in definiendo, quandò celebrato Concilio particulari accedit conſenſus, & approbatio omnium aliarum Eccleſiarum; hàc ratione multa quæſtiones ſopita, & hæreſes damnata, & hæreſiarcha convicti in Conciliis particularibus abſque Concilio Generali, quo nec opus erat tunc, quandò abſentium approbatio accedebat. Tunc ſolùm Provincialia non habita ſunt infallibilia, quandò aliarum Eccleſiarum Antiſtites in contrarium opinabantur. Talia fuerunt oppoſita Concilia Stephani, & Cypriani, qui in definitionibus ſuis ſibi mutuò adverſabantur,*

178. *Tertio modo utitur Eccleſia ſua infallibilitate, quandò communi conſenſu approbat Pontificum decreta, definitiones, & deciſiones in materia fidei; item in generali approbat Traditionem contineri in libris, & ſenſis SS. Patrum; & in particulari in Symbolo S. Athanaſii contineri fidem Sanctiſſima Trinitatis, & in libris S. Auguſtini Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione.*

179. *Alii addunt quartum modum Eccleſia infallibilitatis, quandò ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit; ſed quia illum non admittunt graviſsimi Pontifices, & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Concilii Baſileënſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum præteribimus, hic ſolùm aſſerentes ea, quæ certa ſunt, & extra omnem controverſiam.*

# AUTHOR.

180. QUod tangit Regulam iſtam 8. *n.* 173. & 174. ſatis examinatum eſt *Exam.* 1. *q.* 1. *Exam.* 2. *q.* 7. uti & quod in fine *n.* 179. citavimus, *Exam. IV. q.* 1. 2. & 3. De cæteris igitur. Sit

## *QUÆSTIO. I.*

181. Q*Varitur primò.* An D. Bulcumius *ad Regulam* 8 ſcribens: *Vtitur autem Eccleſia infallibili hàc ſibi à Chriſto relictâ authoritate. Primò: quandò in Concilio Generali congregata definit; ſunt enim Definitiones Concilii adeò certa & infallibiles, quàm ipſum Evangelium;* velit Concilium Generale per ſe & ſeorſim ab approbatione & confirmatione Summi Pontificis, legitimi in Cathedra

dra Sancti Petri Succeſſoris, aliquid infallibilitatis habere in ſuis controverſiarum fidei explicationibus, definitionibus, determinationibus, vel nolit?

182. Si velit: velle debet conſequenter, Concilium Generale, aut Eccleſiam in eo repræſentatam, eſſe *columnam & firmamentum veritatis*, juxta illud 1. ad Timoth. 3. *Eſt Eccleſia Dei vivi columna & firmamentum veritatis*, ſeorſim à S. Petro, ſeorſim à ſuo Capite, uti ſeorſim ab approbatione & confirmatione Summi Pontificis, legitimi in Cathedra S. Petri Succeſſoris. Item Concilia Generalia ſine conſenſu & approbatione Summi Pontificis congregata & achephala eſſe legitima, & ideò reprobata, hoc non obſtante, eſſe infallibilia. Item Concilia Generalia, ut ſint legitima, non debere à Summo Pontifice convocari, approbari, confirmari. Item non eſſe dictum Petro, prout hòc ipsò Capiti Eccleſiæ, ejuſque Succeſſoribus legitimis: *Quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves Regni cælorum*, &c. Matth. 16. *Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu converſus aliquandò confirma fratres tuos.* Lucæ 22. Quæ omnia ſunt hæretica, & contra Traditionem Divinam, de qua ſatis *Exam. IV. q. 1. n. 135. ad* 138.

183. Si nolit: ergò per ipſum, Concilium Generale totam ſuam infallibilitatem accipit ab approbatione & confirmatione Summi Pontificis, legitimi in Cathedra S. Petri Succeſſoris, juxta illud cap. *Concil. diſt.* 17. & cap. *ſignificaſti de elect.* ubi dicitur: *Omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem facta ſunt, & robur acceperunt.* Ac per conſequens Summus Pontifex ut talis totam illam habet, juxta illud Gerſonis *tract. de poteſtate Eccleſ.* conſid. 10. *Poteſtas Apoſtolica in ſua plenitudine eſt formaliter & ſubjectivè in ſolo Romano Pontifice*; &c. Item in *libro de origine juris* apud Mauclerum lib. 1. c. 6. *Plenitudo legis Eccleſiaſticæ ſic propriè ſumpta, non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi à Summo Pontifice, formaliter & ſubjectivè.* Ergò per ipſum, quandò ſolus Pontifex, abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, definit, id ex tota Eccleſiæ, etiam Concilii Generalis, infallibilitate definit, neque hoc magis prætèrire debet *ut dubium, & adhuc ex ſuis principiis eruendum*, quàm illud, quod vult eſſe *primo modo* infallibile, pro ratione addens: *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*, quod conſequenter de altero dicere debet.

## QVÆSTIO II.

184. QVæritur ſecundò. An D. Buſcumius, ſcribens ad Regulam 8. *Secundo modo utitur Eccleſia ſua infallibilitate, quandò celebrato Concilio particulari accedit conſenſus & probatio omnium aliarum Eccleſiarum*: in omnibus aliis Eccle-

Eccleſiis includat Summi Pontificis ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, *explicationem, definitionem, determinationem?*

185. Si includat: mirum eſt, quod illius in toto ſuo *Libello* mentionem non faciat: totam tamen illam quo ad nos infallibilitatem refundere debet in illam Summi Pontificis *explicationem, definitionem, determinationem*; alioqui incidit in hæreſim, de qua *Exam. IV. n.* 135. *ad* 155. ſicque omnes ipſius Regulæ, defectu mentionis hujus, ſunt de hæreſi ſuſpectæ.

186. Si excludat (quod veroſimile eſt, tum ob rationem datam; tum quia, uti *q.* 3. videbimus Summi Pontificis decretorum infallibilitatem ſubjicit *communi conſenſu approbationi*, veroſimiliter, ut cum errorum ſuorum Patronis rejiciat Concilium Generale Florentinum, defectu illorum *conſenſu approbationis*; cum ipſe, pro ut illi, Baſileënſe approbet, &, hoc aprobando, illud rejicere debeat. Vide dicta *n.* 145. & dicenda *n.* 220.) agnoſcit in Eccleſia quoad nos *communi conſenſu approbationis* infallibilitatem, non ſolum excluſâ omni ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, Summi Pontificis explicatione, definitione, determinatione; ſed & eâ, quam negat etiam Concilio Generali legitimo *in quæſtione facti*, in qua tamen illa eſt: quod patet ex præmiſſis eſſe evidenter hæreticum, omnes ipſius *Regulas*, ſi non hæreticas, ſaltem de hæreſi ſuſpectas reddit, ut dixi, attentis dictis *n.* 161. *ad* 167. & dicendis *n.* 192. & 220.

## *QUÆSTIO III.*

187. Quæritur tertiò. An D. Buſcumius, ſcribens ad Regulam 8. *Tertio modo utitur Eccleſia ſua infallibilitate, quandò communi conſenſu approbat Pontificum decreta, definitiones, & deciſiones in materia fidei*, velit Pontificum ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, *decreta, definitiones, & deciſiones in materia fidei* non eſſe quoad nos infallibilia, niſi communi conſenſu approbentur?

188. Si affirmet: vult, iſtam Eccleſiæ quoad nos infallibilitatem eſſe ſitam in Pontificum ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, *decretorum, definitionum, & deciſionum in materia fidei, communi conſenſu approbatione*, quod iterum eſt hæreticum: nam quod communis conſenſus approbat, eſt *quoad nos* infallibile, aut fallibile? Si infallibile, illorum *communi conſenſu approbatio* ſuam in illis præſupponit *quoad nos* infallibilitatem, uti quandò Concilia Generalia communi conſenſu approbantur; ſicut enim hîc nulla alia hujus approbationis, quàm illorum, *quoad nos* infallibilitas, ità ibi & utriuſque oppoſitum æquè eſt hæreticum. Si fallibile, id ipſum eſt, quod hucuſque probavimus eſſe hæreticum. Vide dicta *Exam. IV. q.* 1. & 2 *à n.* 135. *ad* 155. Deindè manifeſtum eſt, quod illa communi conſenſu approbatio per ſe & ſeorſim à definitione Pontificis non ſit infallibilior definitione Concilii Generalis legitimè congregati per ſe & ſeorſim a confirmatione Summi Pontificis; hoc autem ut ſic

eſſe

eſſe fallibile, patet ex dictis *n.* 141. ergo & illa: infallibile autem fallibili ſubjicere, eſt totam fidei noſtræ infallibilitatem ſubvertere & evidenter contra D. Buſcumii *Regulam* 8. Si verò velit conſenſum iſtum & Concilium Generale eſſe ſupra Pontificem, errat, contra Florentinum, Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. & 21. Vide dicta *n.* 139.

189. Si neget: Cur nec ibi, nec in toto ſuo *libello* aſſerit, *Eccleſiam uti ſuâ infallibilitate, quandò Pontifices ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, decreta, definitiones, & deciſiones, in materia fidei condunt*; non verò, uti hîc ait, *Quandò Eccleſia communi ſenſu illa approbat*? Certè hoc eſt de dicta affirmatione valdè ſuſpectum; &, admiſſâ negatione, confirmantur omnes præcedentium Regularum impugnationes, aut dubia ex illis, orta contra infallibilitatem Summi Pontificis ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate definientis.

## *QUÆSTIO. IV.*

190. Quæritur quartò. An D. Buſcumius ſcribens ad Regulam 8. *Tertiò modo Eccleſia utitur ſua infallibilitate, quandò communi conſenſu in generali approbat Traditionem contineri in libris Sanctorum Patrum, & particulari in libris S. Auguſtini Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione.* velit in iſto generali & particulari includi Summi Pontificis ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, *explicationem, definitionem, determinationem* de in illis contenta *Traditione* dicta.

191. Sive affirmet, ſive neget, ſive includat, ſive excludat, id ſatis *q.* 2. præoccupatum eſt. Conſequenter tamen fateri debet. *Primò*: ibi eſſe *quæſtionem facti*, in qua Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, negat infallibilitatem, ut patet ex dictis *n.* 161. *ad* 167. Ac ſic non ſolum *communi conſenſu approbationi* aſſerit infallibilitatem, quam negat Concilio Generali; ~~ſed virtualiter aſſerit infallibilitatem, quam negat Concilio Generali;~~ ſed virtualiter aſſerit, eſſe infallibile *contineri in particulari in libris S. Auguſtini Traditionem de gratia & prædeſtinatiône*; fallibile è contrà, in Scripturis, quas ſub anathemate ſuſcipiendas definit Tridentinum *ſeſ.* 4. *in decreto de Scripturis Canonicis*, contineri verè verbum Dei; quia hoc ſpectat ad *quæſtionem facti*, in qua, etiam Concilio Generali, negat infallibilitatem. Vide *n.* 161. *ad* 167. dicta. *ſecundo*; etiam fateri debet, eâdem ratione, quâ *Eccleſia utitur ſuâ infallibilitate, quandò in particulari approbat in Libris S. Auguſtini contineri Traditionem de gratiâ & præſtinatione*, eadem uti, quandò in particulari approbat in libro Janſenii contineri damnatam adverſus illum hæreſim contra *Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione*: Vide dicta *Exam.* IV. *q.* 6. *n.* 164.

192. Ac proindè, ſi D. Buſcumius hoc modo argumentetur: *Eccleſia uſu ſuæ infallibilitatis communi conſenſu in particulari approbat in libris Auguſtini contineri Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione; atqui in Libris Janſenii continetur pura*

*doctrina Librorum Auguſtini de gratia & prædeſtinatione: ergo Eccleſia uſu ſuæ infallibilitatis communi conſenſu in particulari approbat in libris Ianſenii contineri Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione.*

193. Reſpondeo: diſſimulatâ majori, negando minorem: & ſic argumentum retorqueo: *Eccleſia uſu ſuæ infallibilitatis ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, definit in Libris Ianſenii contineri hæreſes contra Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione: atqui per te in Libris Ianſenii continetur pura doctrina Librorum Auguſtini de gratia & prædeſtinatione: Ergo Eccleſia uſu ſuæ infallibilitatis ex Cathedrâ, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, definit in Libris Auguſtini contineri hæreſes contra Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione.* Quid ad hoc D. Buſcumius? Hanc retortionem prævidere potuit ex à me dictis in *Viſione Eliæ n.* 110. *diſp. ult.* in qua refutavi omnes ſuos è Gallia Patronos. Imò verò, ſi per ipſum, illo caſu, Eccleſia utatur ſua infallibilitate, à fortiori illa utetur, quandò Summus Pontifex *in* aut *extra* Concilium Generale ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, *explicabit*, *definiet*, *determinabit* in Libris S Auguſtini contineri Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione, ac ſimiliter, quandò in libro Janſenii contineri damnatam adverſus illum hæreſim contra Traditionem de gratiâ & prædeſtinatione; quia, ut vidimus, conſenſus ille communis totam ſuam infallibilitatem ab illa *explicatione*, *definitione*, *determinatione* accipere debet, non è contra hæc ab illo, tùm propter præmiſſa *q.* 1. tum

194. *Primò*: quia juxta S. Hieronymum in cap. 16. Matth. *Secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te* Et Epiſt. ad Damaſum Papam: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens; beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione conſocior, ſuper illam ædificatam Eccleſiam ſcio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt; ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio*: in iſtis ſanè nihil de *communi conſenſu approbatione*; imò; *poſt pauca*, hujus neceſſitatem ſic excludit: *non novi Vitalem, Miletium reſpuo, ignoro Paulinum: quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti*, ſive Vicarii ejus, *non eſt, antichriſti eſt.* Quarè in libro *contra Iovinian.* Circa medium: *Propterea tamen unus è duodecim eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio* Undè teſte Hieronymo oppoſita de neceſſaria *communi conſenſu approbatione*, eſt ſchiſmatica.

195. *Secundò*: quia juxta Cyrillum Alexandrinum *Com.* in Joan. lib 4. *Per unum illum, qui inter cæteros eminebat, loquuntur omnes.* Et paulò infrà: *Opus igitur erat Sanctus digna prudentia, & ſoli* (nota) *cunctorum nomine reſpondendi vices deferre, qui loco & ordine major erat* Non enim dicit *per omnes conſenſu communi approbantes* ſed *per unum illum*: nec, *& cunctis communi conſenſu approbantibus, qui loco & ordine majores erant*, ſed *ſoli, qui loco & ordine major erat.*

196. *Tertiò*: quia juxta Cyprianum in *Tract.* de unit. Eccleſiæ: *Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra monſtretur.* Et ſtatim poſt: *Hanc Eccleſiæ unitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur,*

*tur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Reſpondeat D. Buſcumius, & cum eo conciliet Eccleſiæ infallibilitatem demùm, *quandò communi conſenſu approbat Pontificum Decreta*, alioqui prætereundam *ut dubiam*, *& adhuc ex principiis ſuis eruendam.*

197. *Quartò:* quia juxta Optatum Milevitanum *lib.* 2. adverſus Parmen. *Vndè eſt ergo, quod claves regni vobis uſurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus & audaciis ſacrilegis militatis.* Numquid omnes tales, qui Summorum Pontificum ex Cathedra, ſeu Cathedræ S. Petri authoritate, decretorum infallibilitatem transferunt in eorum *communi conſenſu approbationem?*

198. *Quintò:* quia juxta Gelaſium Papam Epiſt. 4. ad Fauſtum: *Contra Canones, hoc ipſo, venire ſe produnt, quod primæ Sedi ſana rectaque ſuadenti parere fugiunt* (numquid tales, qui illa communi conſenſu approbationi ſubjiciunt:) *ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis judicium voluere deferri, ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari* (numquid ad dictam approbationem poſſit?) *debere ſanxerunt: ac per hoc illam de tota Eccleſia judicare, ipſam ad nullius commeare judicium* (ergo nec ad dictam approbationem;) *nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, ſententiamque illius conſtituerunt, non oportere diſſolvi*, &c. *Non veremur, nè Apoſtolica ſententia* (utique, non approbatione, aut reprobatione) *diſſolvatur, quam & vox Chriſti, & Majorum traditio, & Canonum fulſit authoritas, ut totam potiùs Eccleſiam ipſa dijudicet.* Et Epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Nec illa præterimus, quod Apoſtolica Sedes frequenter, ut dictum eſt, more majorum, etiam ſine ulla Synodo præcedente, & abſolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.*

199. *Sextò:* quia *cap.* quoties fidei ratio 24. *q.* 1. ubi Gloſſa. *Quæſtionem de fide motam terminare, nulli præterquam Romanæ Sedi permittitur.* Et Epiſt. *contra Eutbycem in Concilio Chalcedonenſi* p. 1. cap. 15. *Nos pro ſtudio pacis & fidei* (nota) *extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus.* Undè Auguſtinus *Serm* 2. *de verb. Apoſt.* contra Pelag. *Iam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: indè etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt* (hîc ſanè non requirit communi conſenſu approbationem, ſed improbationem potiùs timens, addit) *error utinam finiatur.* Vide ipſum *Exam. IV. q. 1. n.* 137.

200. Quamobrem ex & in Gelaſio Papa *Epiſtol.* 4. citata ſequitur, eos, qui ſummorum Pontificum ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, fidei *explicationem, definitionem, determinationem* & *infallibilitatem*, Eccleſiæ communi conſenſu approbationi ſubjectam docent, *Catholicam fidem moliri evertere. In Sedem B. Petri blaſphemiam, ineptias, & pravitatem docere. Apud Deum hominesque perpetua S. Sedis Apoſtolicæ conſtitutione eſſe damnandos.*

## QVÆSTIO. V.

201. **Q**Væritur quintò: An D. Buſcumius, dicens ad Regulam 8. *Tertio modo Eccleſia utitur ſua infallibilitate, quandò communi conſenſu in particulari approbat in libris S. Auguſtini contineri Traditionem de gratia & prædeſtinatione,* velit, eſſe de fide id, quod eſt Eccleſiæ infallibili authoritate approbatum.

202. Si affirmet: ſequuntur ex ipſius *Inſtructione* & *Defenſione* multa abſurda & erronea.

203. *Sequitur primò*: Quod, *Traditionem de gratia & prædeſtinatione, contineri in libris S. Auguſtini*, de fide ſit: non probatur tamen, eſſe à Deo revelatum, ſeu eſſe Verbum Dei, *Traditionem de gratia & prædeſtinatione contineri in libris S. Auguſtini*; ipſe autem *ad Regulam* 7. ſic ſcribit: *Ratio prima partis clara eſt; quia eſſe de fide, idem eſt, quod eſſe à Deo revelatum, ſeu Verbum Dei: omne autem Verbum Dei, aut continetur in Scriptura, aut Traditione: ergo eo ipſo, quod probatur aliquid contineri in Scriptura, aut Traditione, evidenter convincitur eſſe de fide. Similiter ſi aliquid probetur, non contineri in Scriptura vel Traditione, demonſtratur non eſſe de fide.* Et ſuæ Defenſionis pag. 19. *Quoad Canonizationes Sanctorum, hactenùs neminem legi, qui aſſerat, & probet eas, contineri in Scriptura & Traditione, ac per conſequens, poſitâ veritate Regulæ, evidenter ſequitur, illas non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas.*

204. Subſumo primò. Atqui Traditionem de gratia & prædeſtinatione *contineri* in Libris S. Auguſtini, non probatur, *contineri in Scriptura vel Traditione*; quia Traditio de gratia & prædeſtinatione erat ante S. Auguſtinum ejuſque Libros, aut Divina & Apoſtolica non eſt, uti ipſe & omnes fateri debent: *contineri* autem in Libris S. Auguſtini, non erat ante S. Auguſtinum ejuſque Libros: & dum indè probatur *contineri Traditionem de gratia & prædeſtinatione in Libris S. Auguſtini*, non contineri in Scriptura vel Traditione, per D. Buſcumium *Demonſtratur non eſſe de fide, contineri in libris S. Auguſtini*, imò etiam per eumdem ad *Regulam* 8. dicentem; *illa verò, quæ nondum infallibiliter demonſtrata ſunt, eſſe de fide, à Theologis diſputari, & probari euſque debent: donec ab Eccleſia definiantur*, ſequitur, *à Theologis diſputari, & probari euſque debere Traditionem de gratia & prædeſtinatione contineri in Libris S. Auguſtini, donec ab Eccleſia definiatur*; ac per conſequens *à Theologis diſputari, & probari euſque debere id, quod aſſerit ab Eccleſia infallibilitate ſuâ approbatum, de infallibili Eccleſiæ approbatione*, &c. *donec ab Eccleſia definiatur, approbetur*, &c. quæ nedum manifeſtam involuunt contradictionem; ſed prorſus erronea ſunt; cum ab Eccleſia infallibiliter approbata, & infallibilem Eccleſiæ approbationem ſubjiciat Theologorum diſputationi & approbationi, donec ab Eccleſia definiantur, & ut ceſſet *Theologorum diſputatio & probatio*, præter *infallibilem Eccleſiæ approbationem* requirat ejuſdem Eccleſiæ definitionem, ac ſic, virtualiter ſaltem, præter *Eccleſiæ infallibilem definitionem*, aliam & aliam in infinitum ejuſdem *Eccleſiæ infallibilem, definitionem*, cum una ſufficiat, aut in infinitum

tum

tum procedere oporteat, uti in actionibus phyſicis, ſi ad actionem actio requiratur.

205. Subſumo ſecundò. Atqui hactenùs etiam neminem legit, qui aſſerat, & probet, *contineri Traditionem de gratia & prædeſtinatione in Libris S. Auguſtini* contineri magis in Scriptura vel Traditione, quàm *Canonizationes Sanctorum*, quas n. 155. ad 161. *contineri in Scriptura & Traditione* probavimus: ergo ſaltem pariformiter *de contentione* Traditionis de gratia & prædeſtinatione in libris S. Auguſtini, & Traditionis *de Canonizatione Sanctorum*, loqui debet: & ſicut dicit, *Tertio modo Eccleſia utitur ſua infallibilitate, quandò communi conſenſu in particulari approbat in Libris S. Auguſtini contineri Traditionem de gratia & prædeſtinatione*; ità conſequenter dicere debet: *Tertio modo Eccleſia utitur ſua infallibilitate, quandò communi conſenſu in particulari approbat in defunctis N, & N. contineri vita & gratia Sanctitatem.* Cur hoc, non æquè ac alterum, dicit? Expectamus rationis, quam adferre poſſit, diſparitatem; nam, ſaltem poſitâ veritate illius, hoc negare, eſt erroneum.

206. *Sequitur ſecundò*: Per D. Buſcumium, Eccleſiæ conſenſum de hac *quæſtione facti*, an *Traditio de gratia & prædeſtinatione contineatur in Libris S. Auguſtini*, eſſe de fide, ſeu infallibilem, ut ibi docet in *q. 5.* ajens, *tertio modo Eccleſia utitur ſua infallibilitate*, &c. & tamen ipſe docet Eccleſiæ conſenſum, etiam in Concilio Generali, de ſimili *quæſtione facti*, non eſſe de fide, ſeu infallibilem, ut patet ex eo, quod *ad Regulam 7.* ſcribit: *boc modo demonſtratur, non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas deciſiones, & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti* Et ſuæ *Defenſionis* pag. 21. *Concilia Generalia errare poſſunt in quæſtionibus facti*, quæ ſunt evidenter contradictoria, & poſitâ veritate illius, hoc iterum eſt erroneum.

207. Hic quidem addit, quod ibi omiſit, *quæ videlicet non continentur Scripturâ vel Traditione*: Sed hoc non eſſe hìc additum, niſi ut pallium *in Inſtructione* commiſſi in fide, ſaltèm tradita, erroris, infrà videbimus. Nec ipſum juvat, niſi ſuo *tertio modo, quo Eccleſia ſua infallibilitate utitur, quandò communi conſenſu approbat in libris in S. Auguſtini contineri Traditionem de gratia & prædeſtinatione*, pariformiter addat, ſi *continentia* Traditionis de gratia & prædeſtinatione *contineatur Scripturâ vel Traditione*, quod nec in ſua *Inſtructione*, nec in ſua *Defenſione* uſpiam addit, & ſic de duobus aliis, de quibus *infrà num. 251.* ideoque pariformiter illud ſine illo addito,, juxta id, quod *ad Regulam 7.* ſcripſit, intelligi debet, præſertim cum nulla ſit hæreſis adeò craſſa, quæ poſtmodum deprehenſa, in veritatem Orthodoxam additione aliquâ commutari non poſſit.

208. Subſumo: Atqui eſt evidenter hæreticum in eâdem, aut pari *quæſtione facti*, prout ibi, Eccleſiæ conſenſui communi tribuere fidei infallibilitatem, & hanc negare Concilio Generali legitimo, de quo indubiè loquitur. Nec D. Buſcumius vel unum citare poteſt Orthodoxum, etiam ex ſuis fautoribus Gallis, aut aliis, qui illam in eâdem, aut pari *quæſtione*

*facti*

*facti*, Eccleſiæ conſenſui communi tribuat, & illam Eccleſiæ conſenſui in Concilio Generali legitimo neget: ergo &c.

209. Dicet fortè: Se in illo *Eccleſiæ conſenſu communi* includere *Eccleſiæ conſenſum in Concilio Generali legitimo.* Sed contra eſt 1. quod ſic Concilio Generali in *quæſtionibus facti* tribuat infallibilitatem (quam ex allatis *num.* 206. negat) uti communi conſenſui: aliunde tamen, ſicuti Eccleſiæ conſenſum in Concilio Generali in ſuo *ſecundo modo infallibilitatis Eccleſiæ* non includit, ità nec in *tertio*; & ſi includat in *tertiò*, pariformiter eum includere debet in *ſecundo* ſupra n. 177: ſi verò in *ſecundo* & *tertio* illum includat, *ſecundus* & *tertius modus* ſunt ſuperflui, cum totam ſuam fidei infallibilitatem accipiant ab ejus *primo modo Eccleſiæ fidei infallibilitatis in Concilio Generali legitimo*, qui ſolus, excluſo, uti excludit, *quartò modo* Eccleſiæ fidei infallibilitatis à conſenſu Pontificis ſeorſim definientis, ipſi ſufficere debet: ipſi tamen non ſufficit; quia cum ex Concilio Generali legitimo probare non poſſit, eſſe de fide, ſeu infallibile, *Traditionem de gratia & prædeſtinatione contineri in Libris S. Auguſtini*, & multò minus *in Libris Ianſenii*, voluit, id eſſe de fide, ſeu infallibile ob Eccleſiæ conſenſum communem; fortè, ut cum ſuis Gallis & aliis conſequenter probaret, eſſe de fide, ſeu infallibile, *Traditionem de gratia & prædeſtinatione contineri in libris Ianſenii*, cum omnium iſtorum Janſeniſtarum una ſit vox, *quod doctrina Ianſenii de gratia & prædeſtinatione ſit doctrina Auguſtini*: ac proindè, tàm erraſſe Pontificem, damnando doctrinam Janſenii *de gratia & prædeſtinatione*, quàm damnando Eccleſiæ fidei infallibilitatem, in quo eſſet hæreſis non minor priore.

210. *Sequitur tertiò*: Per D. Buſcumium: duo oppoſita poſſe, eſſe ſimul de fide, ſeu infallibilia, dum v. g. Concilium Generale legitimum definiret *Traditionem de gratia & prædeſtinatione contineri in Libris Sancti Auguſtini* non eſſe de fide, ſeu infallibile, *quia iſtius Traditionis continentia non continetur Scriptura vel Traditione*; & aliunde eſſet Eccleſiæ extra Concilium Generale communis conſenſus, *Traditionem de Gratia & prædeſtinatione contineri in Libris S. Auguſtini*, eſſe de fide ſeu infallibile, *quia quod extra Concilium Generale Eccleſiæ communis conſenſus approbat, eſt de fide, ſeu infallibile*: atqui hoc eſt evidenter hæreticum, contra S. Scripturam ad Epheſ. 4. *Vnus Deus, una fides, unum baptiſma*. 2. ad Corinth. 4. *Habentes eumdem ſpiritum fidei*. 1. ad Corinth. 12. *Non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro invicem ſolicita ſint membra*. Undè Cyprianus Epiſt. 4. *Vnus Deus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una, ſuper Petrum Domini voce fundata: aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit; adulterum eſt, ſacrilegum eſt, quodcumque humano furore inſtituitur, ut diſpoſitio Divina violetur.* Vide D. Thomam 22. *q.* 1. *art.* 10. *ad* 2. Sylveſtrum ex ipſo *verbo* Concilium *q.* 2. *Concl.* 3. Item *verbo* fides *n.* 10. *q.* 7. & aliam oppoſitionem infra *n.* 220. Ex præmiſſis autem

211. Infero: ergo, dum D. Buſcumius tres modos Eccleſiæ fidei infallibilitas

bilitatis diſparatos, ſe mutuò non includentes, conſtituit; non *unam fidem*, ſed tres; non *eundem ſpiritum fidei*, ſed diverſos; non *unitatem*; ſed ſchiſma in corpore Eccleſiæ; non *unam Cathedram ſuper Petrum Domini voce fundatam*, ſed tres extra Petrum (cum Pontifici ſeorſim à Concilio definienti neget infallibilitatem) *ſupra ſuam Inſtructionem ad Tyronem Theologum* fundatas; *non unum altare & unum ſacerdotium*, ſed nova altaria & ſacerdotia *conſtituit*, & à ſe conſtituta confirmat in ſua *Defenſione* pag. 26. *Quid itaque aſſerui? Ecce hic verba mea* ad Regulam 8. *tres modos produxeram, quibus Eccleſia ſua infallibilitate utitur: nimirum, dum aliquid definit in Concilio Generali. 2. dum univerſali conſenſu & approbatione admittit definita in aliquo Concilio particulari. 3 Dum communi etiam aſſenſu probat Pontificum decreta in materia fidei &c. ſubjungo: alii addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis*, quando ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit &c. *eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis eruendum præteribimus.* Neque id ſolum ibi confirmat: ſed fallit quoque. *Primo*. dum ibi a *modo* 1. *Eccleſiæ infallibilitatis* non excludit *Definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*, quas *ad Regulam* 7. ſcribens excludit, uti n. 206. vidimus. *Secundo*: dum ſub ly. *&c.* in *modo* 3. occultat *Eccleſiæ infallibilitatem* in quæſtione facti, *quando communi conſenſu in particulari approbat in Libris S. Auguſtini contineri Traditionem de gratia & prædeſtinatione*, quam his verbis includit, & *ad Regulam* 7. ſcribens excludit, ut ſtatim vidimus Unde ab eo omnes contradictiones, & errores, etiam in fide, prætacti totâ hac *q.* 5. confirmantur: ſed cum iſta hîc ſufficiant ad probandum, *ſi affirmet* id, quod in *q.* 5. eſt, multa abſurda & erronea ſequi, ad alterum *membrum* procedimus.

212. Si neget, id quod in *q.* 5. eſt poſitum: Adferre debet diſparitatem, aut differentiam inter *eſſe de fide* & *eſſe ab Eccleſia ſuæ infallibilitatis uſu approbatum*, ac inſuper aſſerere, *non eſſe de fide*, ſive fide Divinâ credendum id, *quod Eccleſia communi conſenſu in particulari ſuâ infallibilitate approbat.*

213. Eſtnè fortè per ipſum Eccleſia infallibilis in aliis, quàm *Scriptura & Traditione*, implicitè ſaltèm contentis?

214. Reſpondere nequit affirmativè: quia ejus Regula 1. hæc eſt: *Tyro Theologus, nè erret, aut ſeducatur, debet abſque præjudicio indeterminatus conſque hærere inter partes Scholaſticorum, donec ex ipſis Theologiæ principiis convincatur de veritate.* Hæc verò principia aſſignat *Regula* 2. ſic decernens: *Sacra Theologia a duobus tantùm principiis eſt petenda, Scriptura ſcilicet & Traditione.* Quas in ſua *Defenſione pag.* 21. ſic confirmat. *In mea Inſtructione Regulas generales & dilucidas tradidi Tyroni Theologo, illis terminis expreſſas, quibus communiter utuntur Doctores Theologi: qualis inter cæteras hæc eſt*, quod Concilia Generalia errare poſſint in quæſtionibus facti, quæ videlicet non continentur Scriptura vel Traditione, *& de eo non eſt dubium (inquiunt.)* Et ibid pag. 28. *Nondum poteram tamquam certum & de fide determinatum proponere, quod ex Theologiæ principiis needum conſtabat, eſſe infallibiliter definitum, quale eſt præfata opinio*, quod infallibi-

litatis

litas Pontificis ſe ſolo definientis ſit de fide. Præmiſit autem pag. 27. *Abſque injuria authoritatis Pontificiæ dici poteſt, quod opinio illa etiamnum* dubia & indeciſa, *inter illas, quæ ſunt certa & extra omnem controverſiam, præteriri poſſit.*

215. Subſumo: Atqui, ſi per ipſum *Eccleſia non ſit in aliis infallibilis, quàm Scripturâ & Traditione, implicitè ſaltèm, contentis*, evidenter ſequitur, *omne ab Eccleſia, ſuæ infallibilitatis uſu approbatum, eſſe Scripturâ vel Traditione contentum*; ac proinde *de fide*; quia omne *Scripturâ vel Traditione contentum* eſſe de fide, docet *ad Regulam* 2. ſcribens: *Deus enim loquendo, non tantùm revelavit ea, quæ nos expreſſis verbis ut revelata tenemus, ſed etiam illa omnia, quæ in revelatis continentur, & per conſequentiam deducuntur*; præſertim cum ipſe pro ſua ratione clara 1. *partis* ſuæ Regulæ 7. addat: *quia eſſe fide, idem eſt, quod eſſe à Deo revelatum, ſeu Verbum Dei; omne autem Verbum Dei aut continetur in Scripturâ aut Traditione.* Uti & eô, quod *ad Regulam* 8. ſcribit: *Sunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ & infallibiles, quàm ipſum Evangelium: Nihil enim intereſt, an Verbum Dei ſit ſcriptum, an ſine ſcripto traditum.*

216. Infero primò: Ergo per ipſum nulla eſt diſparitas, aut differentia: inter *eſſe de fide*, & *ab Eccleſia ſuæ infallibilitatis uſu approbatum.*

217. Infero ſecundò: Ergo per ipſum, *eſt de fide*, Traditionem de gratia & prædeſtinatione *contineri in Libris Sancti Auguſtini*. Sed ſic: imprimis confirmat omnia præmiſſa a *n*. 202. ad *n*. 212. Deinde: quâ veritate, aut conſequentia id docere poſſit, non video. Quandoquidem

218. *Primò*: Per ipſum de fide non ſit, Traditionem de infallibilitate Summi Pontificis, ſe ſolo ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate definientis, *contineri* in Eccleſiæ praxi à tempore Apoſtolorum in hanc horam, in Conciliis Generalibus legitimis *n*. 139. & 140. citatis, in SS. Patribus à *n*. 194. *ad* 101. relatis, & aliis omnibus, etiam Scholaſticis, præter citatos *n*. 172. & Sorboniorum ab eo tempore ſequaces nonnullos.

219. *Secundò*: Per ipſum de fide non ſit, Traditionem de infallibilitate Conciliorum Generalium in quæſtionibus facti *contineri* in plurimis Conciliorum Generalium legitimorum, & Pontificum ex Cathedra, ſive S. Petri authoritate, definitionibus, quæ ſemper præſupponunt *quæſtionem facti*, an id ſit, vel non ſit *Verbum Dei*, an contineatur, vel non contineatur *Scripturâ vel Traditione*, ex mente Chriſti & Spiritûs Sancti dictantis: inſuper in omnium SS. Patrum Libris, qui omnes, nè vel unô quidem exceptô, agentes de legitimis Conciliorum Generalium in materia fidei definitionibus, ſemper his infallibilitatem tribuerunt; nec eorum ullus in materia fidei inter *quæſtiones facti* & *juris* umquam diſtinxit, iſtam Eccleſiæ infallibilitatem in materia iſta negans in *quæſtionibus facti*, eam affirmans in ſolis *quæſtionibus juris*: Imò & in ſcriptis aliorum quorumcumque, tàm antiquorum, quàm recentium Orthodoxorum, quorum nè unus quidem extra Scholam Janſeniſtarum citari poteſt, qui Conciliorum Generalium definitionibus expreſſè neget infallibilitatem in *quæſtionibus facti de materia fidei, vel hæreſeos.*

220. *Tertiò*:per ipſum de fide non ſit, Traditionem de Immaculata Conceptione *contineri* in libris, aut ſcriptis omnium præcitatorum *n.* 170. cum tamen abſque ulla comparatione major ſit pro his, quàm prò *Traditionis de gratia & prædeſtinatione in libris S. Auguſtini continentia* authoritatum numerus; imò & definitio Concilii Generalis Baſileēnſis *n.* 145. relata, quæ apud ipſum non minoris eſſe deberet authoritatis ad Immaculatam Deiparæ Conceptionem adſtruendam, quàm ad Summi Pontificis, quando ſolus abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit, infallibilitatem ex eo deſtruendam, aut habendam ſaltem *ut dubiam*; præſertim cum hinc conſequenter iſtiuſmodi Concilii reprobationem, à legitimo Concilio Generali Florentino factam, habere debeat dubiam, contra ſe *ad Reg.*8. ſcribentem, *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certa & infallibiles, quàm ipſum Evangelium*

221. Apage, ſuppoſitâ veritate antecedentis, tales inconſequentias; & in conſequentibus blaſphemias & nugas: ac proindè, ſi per D. Buſcumium iſtius Traditionis *continentia* in libris S. Auguſtini ſit de fide propter Eccleſiæ conſenſum communem, à fortiori Traditionis *prioris* & *ſecundi* (*tertium* non dico, propter inhibitionem Alexandri VII.) *continentia* in iſtis aliis pluribus, & majoris authoritatis, erit de fide: nec ſequelam ſine blaſphemia & ingenti abſurditate negare poteſt. Attendat intereà, an contra ſe & ſuos fautores non pugnet illud, quod ad *Regulam* 7. ſcribit: *ex quo patet, à Scholaſticis ſuſtineri multas propoſitiones hæreticas, eas nempè, quæ probantur repugnare Scripturæ, vel Traditioni, etiamſi ab auctoribus ob multas ratiunculas habeantur probabiles: quantumcumque enim magna ſit probabilitas, illa non tollit repugnantiam cum fide; quæ enim ſemel hæretica ſunt, ſemper ſunt hæretica.*

222. Vult igitur, aut non vult D. Buſcumius, *eſſe de fide Traditionem de gratia & prædeſtinatione contineri in libris S. Auguſtini*? Si velit: adferre debet diſparitatem, aut differentiam inter hujus *continentiam* in libris S. Auguſtini, & illarum *continentiam* in iſtis aliorum libris, aut ſcriptis. Si nolit: adferre debet diſparitatem inter *eſſe de fide* & *eſſe ab Eccleſia ſua infallibilitatis uſu approbatum*: utramque expecto.

223. Quia verò D. Buſcumius huic ſuæ *ad Regulam* 7. inſtructioni, *hoc modo demonſtratur, non eſſe de fide, aut fide Divinâ credendas deciſiones, & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*, ſic abſolutè & præcisè poſitæ addidit in ſua *Defenſione* pag 21. *quæ videlicet non continentur Scripturâ vel Traditione*. Per hanc additionem vult, aut non vult, *ſolum iſto modo demonſtrari, non eſſe de fide, aut fide Divina credendas deciſiones, & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*, cum hoc addito, *quæ non ſunt materia fidei, ſed Civiles tantùm*?

224. Si hoc velit, uti conſequenter velle debet, juxta id, quod *ad Regulam* 7. ſcribit: *eſſe de fide, idem eſt, quod eſſe à Deo revelatum, ſeu Verbum Dei: omne autem Verbum Dei, aut continetur Scripturâ, aut Traditione*: ſolùm negat Eccleſiæ infallibilitatem *in quæſtionibus facti Civilis, materiæ non fidei*, &c. quales non

ſunt *Canonizationes Sanctorum, Immaculata Deiparæ Virginis Conceptio*, &c. ac proindè per ipſum *quæſtio facti* non obſtat, nè ſint *de fide*, ſi ab Eccleſia definiantur. Si id tantùm voluit; cur id in tota ſua *Inſtructione ad Tyronem Theologum*, quæ tota eſt *de materia fidei*, ſive *Scripturæ & Traditionis* Verbi Dei, non verò *de materia Civili, non fidei*, &c. non expreſſit, uti in ſua *Defenſione pag.* 21.? Certè ratio non eſt; niſi quia in ſua *Defenſione* jam ſuum in fide, ſaltèm tradita, errorem didicerat, quem in *Inſtructione* commiſit, & adhuc occultare velle videtur, dum non dixit, *in quæſtionibus facti Civilis*, ſed *in quæſtionibus, quæ videlicet non continentur in Scripturâ vel Traditione.*

225. Si id non vult, ſed plus velit: neceſſe eſt *quæſtiones facti*, de quibus ibi, extendat *ad materiam fidei, quæ ſemper continetur, implicitè ſaltem, Scripturâ vel Traditione*, & ſic ſuum errorem in fide, ſaltèm tradita, confirmet.

## QUÆSTIO VI.

226. Quæritur ſextò. An D. Buſcumius *Defenſionis* ſuæ *pag.* 27. ad hæc: *Alii addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quandò ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit; ſed quia illum non admittunt graviſſimi Pontifices, & contrarium ſenſerunt Patres Concilii Baſileënſis, eum intactum, ut dubium & adhuc ex principiis ſuis eruendum præteribimus; hîc ſolùm aſſerentes ea, quæ certa ſunt, & extra omnem controverſiam.* Addens: *Quid hic pernicioſum eſt Tyronibus Theologis? Quid ingenerans vilipenſionem Pontificiæ authoritatis, ipſiuſque Eccleſiæ? Quid quod me diſcordem reddat ab Eccleſia ipſa? Definivitnè fortaſsis Eccleſia fide Divinâ tenendum eſſe, quod ſolus Pontifex abſque Concilio ſit infallibilis? tantùm abeſt*, &c. velit ad hoc, ut illud fide Divina ſit tenendum, requiri de eo formalem & expreſſam Eccleſiæ definitionem?

227. Scio Gallum quemdam in *Libello anonymo* ( cui Titulus, *de la puiſſance Eccleſiaſtique & politique*, hoc modo ratiocinari: *Deus dedit totam facultatem videndi primò & immediatè toti homini, ut videret oculo, uti organo & miniſtro hominis, cujus eſt, per quem, & pro quo ſubſiſtit: ergo Chriſtus dedit totam poteſtatem clavium primò & immediatè toti Eccleſiæ; ut illam exerceret S. Petrus, ut organum & miniſter Eccleſiæ. Ità*, inquit, *Schola Pariſienſis nixa illi fundamento infallibili, conformiter omnium totius Eccleſiæ Doctorum opinioni.*

228. Sed contra primò: En ſimile ratiocinium: *Oculus, quo totus homo videt, eſt materialis, par illi, quo vident ſinguli homines: ergo poteſtas Clavium, quam exercet S. Petrus, eſt materialis, par illi, quam exercent ſinguli homines.* Quod potiùs eſt delirium, quàm ratiocinium; etenim licèt omnes Lutherani & Calviniſtæ conſequentiam affirment *pro* 2. *parte*; negant tamen 1. *partem.*

229. Contra ſecundò: Cur hôc Catholicô modô non ratiocinatur: *Deus*

*Deus dedit totam facultatem videndi primò & immediatè homini independenter à cæteris hominibus, ut ipſe ſe ſolo primò & immediatè videat independenter à cæteris hominibus: Ergo Chriſtus dedit totam poteſtatem Clavium primò & immediatè S. Petro independenter à cæteris hominibus, ut ipſe illam ſe ſolo primò & immediatè exerceat independenter à cæteris hominibus?* Non videò; niſi veroſimiliter, quia Catholicus non eſt: hoc tamen ſolùm eſt fundamentum infallibile *conformiter omnium totius Eccleſiæ Doctorum opinioni*; illud autem inſaniæ fallibilis conformiter omnium extra Eccleſiam Acatholicorum opinioni; quod eſſe Scholæ Pariſienſis, aut D. Buſcumii, non credam, niſi leviori iſto Gallo gravior aliquis id teſtetur. Igitur ad *q.* 6.

230. Si D. Buſcumius nolit ad hoc, ut illud ſit fide Divinâ tenendum, requiri de eo formalem & expreſſam definitionem, ſufficientem dedimus materialem & implicitam à *n.* 135. *ad* 155. & alioqui patet Traditionem, de qua *n.* 217. non eſſe *de fide*, ipſumque urgent dicta *n.* 212.

231. Si D. Buſcumius velit ad hoc, ut illud ſit fide Divinâ tenendum, requiri de eo formalem & expreſſam definitionem: conſequenter aſſerere debet, omnes Traditiones Apoſtolicas, de quibus Nicænum II. actione 7. *Si quis Traditionem Eccleſiæ, ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentem, non curaverit. anathema ſit.*

232. Item Tradentinum *ſeſ.* 4. de Canonicis Scripturis. *Si quis autem Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit, & Traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit; anathema ſit.* Et ſeſ. 7. *de Baptiſ.* can. 8. *Si quis dixerit, Baptizatos liberos eſſe ab omnibus S. Eccleſiæ præceptis; quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ità ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſuâ ſponte illis ſubmittere voluerint: anathema ſit.*

233. Auguſtinus *lib.* 4. *contra Donatiſtas* cap. 6. *Illa conſuetudo, quam & tunc homines, ſurſum verſus aſpicientes, non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur.* Ibidem lib. 4. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Ibid. lib. 5. cap. 23. *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum* (Apoſtolorum) *Traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicut multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.*

234. Caput *Illa* diſt. 12. *ex Auguſtino* Epiſt. 118. *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus: quæ quidem toto Orbe terrarum ſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri. Sicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum & adventus de cœlo Spiritûs Sancti, anniverſaria celebritate celebrantur, & ſi quid tale alind occurrit, quod ſervatur ab univerſa, quocumque ſe diffundit, Eccleſia.*

235. Tertullianus *lib. de corona militis* cap. 3. *Hanc* obſervationem inveteratam

*tam ſi nulla Scriptura determinavit certò conſuetudo roboravit: quomodò enim uſurpari quid poteſt*, putà ab Eccleſia infallibili, *ſi traditum priùs non eſt?* Ibidem cap. 4. *Harum* obſervationum inveteratarum, *& aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; Traditio tibi prætenditur auctrix conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.*

236. S. Baſilius *Libro de Spiritu Sancto* cap. 27. *Dogmata, quæ in Eccleſia ſervantur, ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolis, Traditione ad nos delatâ, in Myſterio recipimus: quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam ſaltèm Eccleſiaſticorum jurium experientiam habet: ſi enim aggrederemur, non ſcriptô proditas conſuetudines, velut non magnam vim habentes, rejicere, imprudenter etiam ipſis principalibus Evangelii partibus damnum inferremus.* Et ſic de pluribus aliis.

237. Conſequenter, inquam, aſſerere debet, omnes Traditiones Apoſtolicas, de quibus ibi implicitè & indeterminatè dumtaxat, defectu Eccleſiæ de unaquaque in particulari expreſſæ & formalis definitionis, *non eſſe fide Divinâ credendas, ſed, ut dubias, & adhuc ex ſuis principiis eruendas, debere præteriri, à Theologis diſputari, & probari euſque, donec ab Eccleſia definiantur* definitione de illis expreſsâ & formali, non obſtante triplici ſupra allato anathemate, & præcitatorum SS. Patrum authoritate: quod eſt cum Lutheranis & Calviniſtis negare, virtualiter ſaltèm, Traditiones Apoſtolicas; cum aliter, quàm ſuâ conſuetudine, & Eccleſiæ praxi continuâ probari non poſſint: undè S. Chryſoſtomus *Homil.* 4 in 2. ad Teſſalon. 2. *Itaque Traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus: Traditio eſt, nihil quæras amplius.* Et Irenæus adverſus hæreſes lib. 3. cap. 4. *Si neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis: nonnè oportebat ordinem ſequi Traditionis, quàm tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias, cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum*, &c Undè fruſtrà exigit D Buſcumius Eccleſiæ definitionem *de infallibilitate Summi Pontificis, materiam fidei* ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, *ſine conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum, definientis*, expreſſam & formalem.

258. Probatur autem, quod id aſſerere debeat conſequenter.

*Primò*: quia, ſi quæ eſt Traditio Apoſtolica, & ſi de aliqua Traditione Apoſtolica (poſt Traditionem *de Scriptura, prout in Eccleſia Catholica legi conſuevit, & in veteri vulgata editione habetur, quod ſit verè Verbum Dei ab Apoſtolis à Chriſto oretenus, vel à Spiritu Sancto dictante conſcriptum*) conſtat, maximè eſt illa *de infallibilitate*, &c. quæ in *q.* 6. eſt, & de illa maximè conſtat, ut patet ex præmiſſis à *n.* 135. *ad* 155 & *n.* 194 *ad* 201.

239. *Secundò*: quia id ſufficienter hoc argumentum convincit: S. Petrus, non ſolùm, Spiritu Sanctô dictante, prout alii Apoſtoli; ſed jure Eccleſiæ & cæterorum Apoſtolorum Capitis, (poſtquam ipſi dixerat Chriſtus Matth. 16. *Quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum*, &c. Lucæ

22. Et

22. *Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu converſus aliquandò confirma fratres tuos.* Quo jure *Epiſtolam* ſuam 2. ad totam Eccleſiam direxit, etenim ſic incipit: *Simon Petrus Servus & Apoſtolus Ieſu Chriſti iis, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in juſtitia Dei noſtri & Salvatoris Ieſu Chriſti)* ſolus & ſeorſim à Concilio, ſive Apoſtolorum cœtu, varia infallibiliter definivit, ut v.g. dum *Epiſt.* 1. citata *cap.* 1. jure iſto, extra Concilium Generale, ſive etiam cœtum Apoſtolorum, ſic totam Eccleſiam in fide confirmat: *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris, hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata eſt aliquandò prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Ergo Summus Pontifex, qui ex fidei Traditione S. Petro in Cathedra & authoritate legitimè ſucceſſit, idem poteſt.

240. Certè, ſi S. Petrus non ſciviſſet Chriſti Vicarium in terris, jure Eccleſiæ & cæterorum Apoſtolorum Capitis, non poſſe ſe ſolo extra Concilium Generale, ſive etiam cœtum Apoſtolorum infallibiliter totam Eccleſiam in fide confirmare, id extra non feciſſet; & niſi Traditio Apoſtolica eſſet, quòd totam ſic infallibiliter confirmarit, & quòd legitimi Succeſſores ejus, jure Eccleſiæ Capitis, & legitimæ in Cathedra S. Petri ſucceſſionis, totam ipſius haberent infallibiliter definiendi authoritatem, id omnes à Petro huc uſque, extra caſum ſpecialiſſimæ neceſſitatis Concilii Generalis, non feciſſent: nè aliòqui de tanti momenti vanâ & damnabili præſumptione accuſarentur.

241. Dominus Buſcumius admittit, aut rejicit hanc Traditionem? Si admittit: contra Traditionem Apoſtolicam *inſtructionem* poſuit, & hæreticam. Si rejicit: omnes à fortiori Traditiones Apoſtolicas contra fidem & anathemata ſupra poſita rejicere debet, quod eſt evidenter hæreticum.

242. Item D. Buſcumius fatetur, aut diffitetur, à tempore S. Petri uſque ad 1. Concilium Generale fuiſſe de iſta Traditione conſenſum totius Eccleſiæ Catholicæ, aut diffitetur?

243. Si fateatur: per ipſum Eccleſia in tali conſenſu uſa eſt ſuæ infallibilitatis *modo tertio* ab ipſo ad *Regulam* 8. aſſignato, & eſt ipſius Regula 8. *Ea, quæ ſemel demonſtrata ſunt eſſe de fide, non ſunt amplius in quæſtionem vel diſputationem revocanda, ſed ut fidei poſitiones, & dogmata, & tamquam certa Theologiæ principia in Cathalogo aut volumine conſervanda.* Et meritò; quia S. Auguſtinus Epiſt. 118 ſcribit: *ſimiliter, ſi quid horum tota frequentat Eccleſia: nam hoc, quin ità faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſania eſt.* Ergo, ipſo fatente, dum ipſe, & quotquot poſt 1. Concilium Generale, quos pro ſe citat, aut citare poteſt, illam *in quæſtionem vel diſputationem* revocant, aut revocarunt, *fidei poſitionem, & dogma, & certum Theologiæ principium in quæſtionem*

*nem vel diſputationem* (quam vult eſſe de ſolis dubiis, & adhuc ex ſuis Theologiæ principiis eruendam) *ut dubium revocarunt*; quod eſſe hæreticum, indubitatum eſt : ac proindè nullos producere poteſt ſuæ contra iſtam Traditionem ſententiæ Patronos, quos ſecum, per iſtam ſuam *Regulam* & ſuum *tertium Eccleſiæ infallibilitatis modum*, fateri non debeat, eſſe hæreticos.

244 Si diffiteatur: diffiteor ego, quod vel unum Orthodoxum citare poſſit, qui ante 1. Concilium Generale iſtam Traditionem rejecerit; aut qui efficaciter probet, aliquo inter Apoſtolos & 1. Concilium Generale medio tempore, iſtam Traditionem in Eccleſia non fuiſſe, ſed ab aliquo illis poſteriore ceptam, & inſtitutam fuiſſe. Si non poſſit: audiat Auguſtinum ſupra *n.* 233. citatum : *Illa conſuetudo, quam & tunc homines ſurſum verſus aſpicientes, non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur.* Et ſic de aliis authoritatibus ibi ſucceſſivè allatis, quibus

245. Adde illud S. Hieronymi in Dialogo *adverſus Luciferianos* col. 8. *Etiamſi Scripturæ authoritas non ſubeſſet, totius Orbis in hanc partem conſenſus,* prout tunc fuit, niſi efficaciter probet oppoſitum, *inſtar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per Traditionem in Eccleſiis obſervantur, authoritatem ſcriptæ legis,* prout traditio dicta, *uſurpaverunt* Cui conſonat Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſulanum: *In his enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt,* utique Apoſtolica, cum ſit Traditio Apoſtolica, ut vidimus, quam rejicere, *ut dubiam, & adhuc ex ſuis principiis eruendam*, haud minus eſt contra fidem traditam, quàm rejicere Evangelium & præcepta Decalogi ut dubia, & adhuc ex ſuis principiis eruenda, antequam in Concilio Generali legitimo expreſsè & formaliter definirentur, *eſſe verè Verbum Dei, & ut tale obſervanda.*

246. Dicit quidem D. Buſcumius ad Regulam 8. *Sed non ſatis deplorandum, quod eadem S. Synodus non eamdem curam habuerit ſpecificandi alterum Theologiæ principium, ideſt Traditionem: quod etiam S. Traditionum in particulari Indicem conſcribendum non cenſuerit, nè ſimiliter alicui dubitatio ſuboriatur, quæ nam illæ ſint Traditiones, quæ ex ore Chriſti vel Apoſtolorum ad nos devenerunt, quas ipſa Synodus ut tales ſuſcipit, ac proponit.*

247. Sed contra: præterquam quod D. Buſcumius altum nimis, ſupra celeberrimum totius Eccleſiæ Concilium Generale, puta *Tridentinum*, ſapiat: non illud ſanè, ſed hoc non ſatis eſt deplorandum, quod ipſe Cathedralis Pœnitentiarius, Paſtorum, Confeſſariorum, & Ordinandorum Examinator Epiſcopalis, rejiciat *Traditiones Apoſtolicas*, ut vidimus. Primò: *de Eccleſiæ infallibilitate, quandò ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit*, utique in materia fidei, & ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate. Secundò: *de fide Divinâ credendis deciſionibus, & definitionibus Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*, utique indefinitè & gene-

generaliter,ut ad *Regulam* 7. ſcribit,ac ſic etiam in materia fidei. Tertio: *de Canonizationibus Sanctorum*, utique indefinitè & generaliter, ac ſic,ſive à Concilio Generali legitimo, ſive à legitimo S. Petri Succeſſore & Chriſti Vicario ex Cathedra eas definiente: pro quibus, non ſolum Eccleſiæ conſenſus fuit communiſſimus, *quoad* 1. ante Gerſonem, *quoad* 2. ante Janſenium, *quoad* 3. ſaltem ante D. Thomam, de quo *n* 158 & 159. qui habuit vim præcepti Apoſtolici ex relatis à *n.* 194 *ad* 201. & indiſputabilis, juxta ejus *Regulam* 8 & *modum tertium. infallibilitatis*, de quo *ibidem*; ſed illa quoque, implicite ſaltem, in S. Scriptura continentur, ut patet ex præmiſſis. *n.* 135. 147. 155. 156. & 239. *ad* 246. Omiſi *Traditionem de Immaculata Deipara Conceptione*; non quod iſta, etiam pro illa non militent: ſed ne videar impingere in Bullam Alexandri VII. ſi de hac idem, quod de illis, dicerem, præſertim, cum in *Libro*, cui Titulus *Viſio Eliæ* &c *diſp.* 3. *dub.* 4. *& ſeq.* non obſcurè probaverim,illa iſti convenire,S. Thomam oppoſitum non tenuiſſe, & quod contra illam non plus faciat Schola Thomiſtica,quam contra definitionem fidei pars minor Concilii Generalis, accedente Summi Pontificis confirmatione.

246. Unde D. Buſcumius debet: aut conſequenter docere D. Thomam, ſi aſſeruerit *Deiparam Virginem fuiſſe maculatè conceptam*, erraſſe contra ſuum *tertium Eccleſiæ infallibilitatis modum* ſuprà *n.* 178. relatum, imò etiam,ut vidimus, contra Traditionem Apoſtolicam *de Immaculata Conceptione*, juxta Eccleſiæ conſenſum ante ſe communiſſimum, cui D. Buſcumius adſcribit *tertium Eccleſiæ infallibilitatis modum* ſuprà *n.* 178. ac proindè juxta *Regulam* 8 quam ipſe explicat, docere, *eſſe infallibiliter demonſtratum*, Immaculatam Conceptionem *eſſe de fide*, *non eſſe amplius in quæſtionem*, *vel diſputationem revocandam*, *ſed ut fidei poſitionem*, *& dogma*, *& tamquam certæ Theologiæ principium,in Cathalogo, aut volumine conſervandam*, cujus oppoſitum docet,& nos propter inhibitionem Alexndri VII. ab iſtis præſcindimus: aut docere nobiſcum D. Thomam non aſſeruiſſe, *Deiparam Virginem fuiſſe maculatè conceptam.* Si hoc poſteriùs doceat:hujus ſui erroris, quoad *Regulam* 7. ſcribit: *myſterium Immaculatæ Conceptionis B. Virg. defectu Scripturæ & Traditionis de fide eſſe non poteſt*, nullum à D. Thoma petere poteſt patrocinium,& multò minùs, ſi alterum prius, niſi à dicto errore petere velit errocinium, & ſuum *tertium Eccleſiæ infallibilitatis* evertere *modum.* Vide dicta *n.* 145. *Reſpondeo ad* 1. &c.

249. Adverte tamen, quod D. Buſcumius in prædictis rejiciat Traditiones, ex quibus potiſſimum. S. Synodus Tridentina ſuum *Sacrarum Traditionum Indicem* conſcribere debuiſſet: & cum ſint *quæſtiones facti* de quibuſcumque Apoſtolicis, *an ſint ab Apoſtolis dictante Spiritu Sancto traditæ*, conſcriptum ab eo Indicem rejeciſſet,prout *infallibilitatem in deciſionibus*, *& definitionibus Eccleſiæ,etiam in Concilio Generali,de quæſtionibus facti* Undè mirum eſt, quod conſequenter non rejecerit definitionem Tridentini *ſeſ.* 4. de libris Canonicis,

nicis, & id, quod inconſequenter *ad Regulam* 6. ſcripſit: *Per hoc enim cognoſcimus, Scripturam eſſe Verbum Dei, quia Eccleſia per Traditionem inſtructa ſic definit, & declarat hos libros à Spiritu Sancto dictante eſſe conſcriptos, itaut primum & originale principium omnium eorum, quæ fide Divinâ credimus, ſit Traditio*: His alioqui allatas *n.* 247. quatuor ſuas inſtructivas Reſolutiones evertit.

250. Quaſi verò Traditio, per quam inſtructa Eccleſia definit, *hos libros eſſe à Spiritu Sancto dictante conſcriptos*, ſit magis *de fide tradita*, aut ante *de fide definitam* infallibilior, quàm iſtæ aliæ Traditiones Apoſtolicæ; aut illa *de fide propoſita, definita, determinata eſſe poſſit* certior, quam iſtæ aliæ Traditiones, dum *quæſtio facti*, an illa præ iſtis *ſit à Chriſto oretenùs Apoſtolis, aut ab Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, ſine ſcripto tradita*; & conſequenter, an minus in illa, quàm in iſtis, Eccleſia per Buſcumium errare poſſit, dum *ad Regulam* 7. abſolutè, & præcisè ſine ulla limitatione ſic reſolvit: *Hoc modo demonſtratur non eſſe de fide, aut fide Divina credendas deciſiones & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali de quæſtionibus facti*, qualis illa etiam eſt, ut vidimus.

251. Addidit quidem, ut ſuprà *n.* 207. notavi, iſti reſolutioni in ſua *Defenſione* pag. 21. *quæ videlicet non continentur Scriptura vel Traditione.* Sed additio hæc cum ejus dogmatibus & Regulis, ut vidimus *q.* 5. *in fine*, ſubſiſtere non poteſt; alioqui id etiam addere debuiſſet pro Eccleſiæ infallibilitate duabus aliis *n.* 247. præmiſſis; cum non ſpectent *ad quæſtionem facti, quæ non continetur Scripturâ vel Traditione*; ſed *quæ* non minus *continetur Scripturâ vel Traditione*, quàm quæſtio facti de Traditione, *per quam inſtructa Eccleſia definit, & declarat, hos libros à Spiritu Sancto dictante eſſe conſcriptos*, ut vidimus; non addidit autem: unde additio iſta ibi cenſeri debet, ut notavimus *n.* 207. deprehenſi poſtmodum erroris pallium, ſed mancum.

252. Quaſi verò D. Buſcumius, rejiciendo iſtas tres (à *quarta* pro Immaculata Conceptione præſcindo, ut dixi *n.* 248.) Traditiones Apoſtolicas, cæteras omnes, pro quibus tantus Eccleſiæ conſenſus in ſacris Canonibus, Pontificum Decretis, Sanctorum & antiquorum libris, non legitur, conſequenter cum Lutheranis & Calviniſtis rejicere non debeat; imò &, rejiciendo *Eccleſiæ infallibilitatem in quæſtionibus facti*, ac per conſequens in *Traditione*, quam dicit *primum & originale principium omnium eorum, quæ fide Divina credimus*, etiam rejicere omnia, quæ fide Divina credimus, ac ſic ipſam totam fidem Divinam in & cum iſto principio originali, quod eſt plus quàm Lutheranum & Calviniſticum.

253 Iſta igitur non ſatis ſunt deploranda, ut patet, non verò illud, quod de Tridentino gratis non ſatis deplorandum aſſerit; fortè ut ſecuriùs dictas tres (à *quarta* præſcindo ut dixi) rejiciat Traditiones; quaſi verò non ſint, prout ipſa Scriptura Sacra, *de fide* ab Apoſtolis *tradita*, antequam ſint ab Eccleſia *de fide* ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, *propoſita, definita, determinata*, juxta illud S. Hieronymi *in Dialogo*

*ad*

*ad Luciferianos* col. 8. *Etiamſi Scriptura authoritas* (idem eſt, à pari, de dicta propoſitione, definitione, determinatione) *non ſubeſſet, totius Orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per Traditionem in Eccleſia obſervantur, authoritatem ſcriptæ legis uſurparunt*; quod, & alia *nu.* 231. *ad* 237. præmiſſa ex Nicæno II. item ipſo Tridentino, Auguſtino cap. *Illa diſt.* 12. Tertulliano, & S. Baſilio, nobis, uti ipſi Tridentino, abundè ſufficiunt.

255. Nec ſolùm *rejicit Traditiones*, &c. ut dictum eſt *n.* 249. ſed, dum *ad Regulam* 8. ſcribit: *Intereà, dum hoc ſæculum nequam (uti olim in mari periclitantes diſcipuli) dormiente Domino, permittitur agitari, valdè cautè & circumſpectè proſpiciendam eſt, nè temerè à veritatis via aberremus in examinanda vel colligenda Traditione, & nihil ut traditum admittamus ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſupradictos.* Virtualiter

255. Aſſerit primò: Hôc ſæculô, Chriſti in terris Vicarium dormire, & cum ſciat, Summum Pontificem in Janſenii hæreſibus, & Janſeniſtarum de Summi Pontificis *in quæſtionibus facti* ad fidem ſpectantis fallibilitate erroribus extirpandis, fuiſſe, & eſſe vigilantiſſimum, videtur alium agnoſcere Chriſti in terris Vicarium, de quo intelligit illud, *dormiente Domino*; præſertim cum veneretur Conſilium Baſileënſe, & ſic de legitimitate ſuſpectum habeat Florentinum, uti notavimus *n.* 145. atque etiam dicti Pontificis definitionum explodat infallibilitatem ad *Regulam* 8. ſcribens: *alii addunt quartum modum infallibilitatis, quandò ſolus Pontifex abſque conſenſu aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit; ſed quia illum non admittunt graviſsimi Pontifices & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Conſilii Baſileënſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum præteribimus*, utique tamquam modum, ſub quo *hoc ſæculum nequam (uti olim periclitantes diſcipuli) dormiente* altero infallibilitatis *Domino, permittitur agitari.* Certè verendum eſt, nè non dormiat, nec magis iſtâ nequitiâ, quàm Janſenianâ, hoc ſæculum agitari permittat.

256. Aſſerit ſecundò. *Valdè cautè & circumſpectè proſpiciendum eſſe, nè temerè à veritatis via aberremus in examinanda & colligenda Traditione*; ſupple, *dum hoc ſæculum nequam (uti olim in mari periclitantes diſcipuli) dormiente Domino, permittitur agitari*, quô conſequenter velle videtur, nobis in hoc ſæculo *nequam* ſub Summi Pontificis ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, definitionibus abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum, ac ſic, altero infallibilitatis *dormiente Domino, valdè cautè & circumſpectè proſpiciendum eſſe, nè ſub definitionibus iſtis temerè à veritatis via aberremus in examinanda & colligenda Traditione.* Quaſi verò tales definitiones *hoc ſæculum* faciant *nequam*; aut ſit *nequam*, quia alter à Summo Pontifice infallibilitatis Dominus dormit, & donec evigilet, debeamus, uti *olim in mari periclitantes diſcipuli*, in hæreſibus periculosè periclitari; & nè Summi Pontifices ſuis ex Cathedra, *abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum* definitionibus, nos hæreſes doceant, & confirment, *valdè cautè & circumſpectè proſpiciendum eſſe*; quod non ſolùm de

ſolo in fide vulgariter ſuſpecto dici poteſt, nec ipſe de ſuorum errorum Patronis, quos vocat *viros præſtantiſsimos* Defenſionis *pag.* 3. dici ſinit, ut patet ex ejus *Defenſione* variis locis; ſed cum, niſi Summus Pontifex ut ſic definiens ſit infallibilitatis Dominus, nullus poſt S. Petrum fuerit, ſit, aut erit talis, ut patet ex præmiſſis, velle debet Eccleſiam totam fuiſſe, eſſe, & fore ſemper in hæreſibus ſine ulla fidei veritate fluctuantem, ac nullam aliam attendendam, quàm *juris naturæ*, Regulam, quod nequidem perfidi Judæi, Lutherani aut Calviniſtæ, etiam peſſimi, aſſerunt.

257. Aſſerit tertiò: *nihil ut traditum eſſe admittendum ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſupra dictos.* Ac proindè nihil, propter definitiones Summorum Pontificum ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate, definientium, abſque conſenſu aut approbatione aliorum Antiſtitum, *traditum, eſſe admittendum ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſuprà dictos*; cum tamen ipſe *aliquid ut traditum admittat* à ſuis errorum patronis, *ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſuprà dictos*, quo non obſcurè plus defert Patronorum ſuorum hæreſibus, quàm *Summi Pontificis* ex Cathedra, ſive Cathedræ S. Petri authoritate *definitionibus, abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum*, ei licèt Antiſtitibus pluribus, illorumque, quos aſſiſtere exigit, aſſiſtentibus, quàm Petro aſtiterint in Concilio, de quo ſupra *n.* 147. Hæc ſanè intolerabilia videntur.

## *QUÆSTIO VII.*

258. Q*Væritur ſeptimò*: An D. Buſcumius in præmiſſis pœnas incurrerit in *Bulla* Alexandri VII. *Ad perpetuam rei memoriam, anno* 1661. *indictione* 13. *die* 11. *menſis Decemb.* latas ut ſequitur.

259. *Conſtitutiones, & decreta à Pontificibus Romanis Prædeceſſoribus noſtris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui Creatione, & in Corpus infuſione ſpiritûs Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe, nec non & in favorem feſti, & cultus Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & ſub Cenſuris, & pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervare mandamus. Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu decreta ita pergunt interpretari, ut favore per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quomodocumque modo directè vel indirectè, aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, ſive Sacram Scripturam aut Sanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quidquid determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea aſſerendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis incogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint, præter pœnas, & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per præſentes ſubjicimus, etiam concio-*

*concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activâ, & paſſivâ in quibuſcumqué electionibus eo ipſo, abſque alia declaratione, privatos eſſe volumus, nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum, perpetua inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere, abſque alia declaratione: à quibus pœnis, non niſi à nobis ipſis, vel à Succeſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint, nec non eoſdem aliis pœnis noſtro & eorumdem Romanorum Pontificum Succeſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubjacere volumus, prout ſubjicimus per præſentes, innovantes Pauli V. & Gregorii XV. ſuperiùs memoratas Conſtitutiones, ſive decreta. Ac libros in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut ſuprà, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli V. ſuprà laudatum decretum edita, aut impoſterum quomodolibet edenda, prohibemus, ſub pœnis, & cenſuris in indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto, abſque alia declaratione pro expreſsè prohibitis haberi volumus, & mandamus.*

260. Si arffirmet: fruſtra appellat à ſententia deſuper contra ſe ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo ſuo Gandenſi Epiſcòpo, ut audio, lata, cum ſic ſe illas incurriſſe affirmet.

261. Si neget: debet efficaciter ſatisfacere ſequentibus.

262. *Primò*: Bullæ Titulus eſt: *Bulla Sanctiſſimi D. N. D. Alexandri Divinâ providentiâ Papæ ſeptimi innovatio Conſtitutionum, & decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione, à peccato originali præſervatam editorum.* Ergo quidquid eſt in odium iſtius ſententiæ, eſt contra iſtius Bullæ finem *in favorem* &c. ac *ſententiam*, de qua in *Bulla* per totam, ipſamque proinde Bullam.

263. Subſumo: Atqui id, quod D. Buſcumius *in Inſtructione* ad *Regulam 7.* ſcribit: *Quod* (puta, myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis) *quidem ob multas rationes ſuſtinetur ut verum, ſed defectu Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe non poteſt*: eſt in odium iſtius ſententiæ, & iſtius Bullæ finem *in favorem* &c. Ergo &c. Probatur minor; quia *ſententia* illa, non aſſerit quidem, *eſſe de fide myſterium Immaculatæ Conceptionis B. Virginis*; ſed dum illud probat ex Scriptura, Conciliis, Pontificibus, & cæteris, de quibus *n.* 170. ſentit, copiâ *Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe poſſe*, cujus oppoſitum ſcribit D. Buſcumius, his verbis: *ſed, defectu Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe non poteſt.*

264. Reſpondet D. Buſcumius in *Defenſione* pag. 24. *Manet ergo vera mea aſſertio, ipſâ Pontificiâ authoritate ſtabilita, quod* myſterium Immaculatæ Conceptionis B. V. defectu Scripturæ & Traditionis, *hoc eſt, quamdiu deeſt Scriptura vel Traditio, cui innitatur*, de fide eſſe non poſſit.

265. Sed contra eſt. Primò: Quod gloſſa hæc non ſit ſuo textui conformis; quia in *Inſtructione loco citato* dicit: *probari tamen non poſſunt, contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. myſterium Immaculatæ Conceptionis B. Virginis*; ac proindè, attentis his verbis, horum, *defectu Scripturæ & Traditionis, de fide*

*eſſe non poteſt*, non eſt gloſsâ datus ſenſus; ſed hic, *ſed quia deficit Scriptura & Traditio, de fide eſſe non poteſt*: ſive, quod ex prioribus verbis legitimè deducitur, *ſed quia probari non poteſt ex Scriptura & Traditione, de fide eſſe non poteſt*: Hoc autem eſt directè oppoſitum *ſententiæ piæ aſſerentis*.

266. Contra Secundò: gloſſa hæc, *hoc eſt, quamdiu deeſt Scriptura vel Traditio, de fide eſſe non poteſt*, attentis verbis textus, *probari tamen non poſſunt contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis*, eſt manca, & hoc mòdo juxta textum ſumi poteſt, & debet, *hoc eſt, quamdiu deeſt, prout deeſt, Scriptura & Traditio, cum probari non poſſit, contineri Scripturâ vel Traditione*. Si verò ſic ſumat, uti poteſt, & debet juxta textum, gloſſa talis ipſi non favet; ſed ſolùm truncatis verbis occultat *piæ ſententiæ* directè oppoſitum.

267. Voluit igitur ſubintellectum ly *prout deeſt*, vel non? Si prius: propriâ ſuâ confeſſione, *piæ ſententiæ* directè oppoſitum ſenſit. Si verò poſterius: quo ſenſu ſcripſit, *probari tamen non poſſunt contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis*? Et cur hanc difficultatem movit, cùm nullus unquam dixerit, *Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, quamdiu deeſt Scriptura & Traditio, de fide eſſe poſſe*, niſi quia *piæ ſententiæ* ſe opponere voluit in optatæ fidei Divinæ definitionis prætentione? Difficulter oppoſitum perſuadebit.

268. Contra 3. Gloſſa alterat ejus textum: quia textus habet, *ſed defectu Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe non poteſt*; gloſſa autem mutat ly *&* in *vel*, quæ toto cœlo differunt; nam ly *vel*, poſitum in textu loco *&*, faceret textum hæreticum, uti hic eſt, *Traditio defectu Scripturæ de fide eſſe non poteſt*, quia hìc deeſt *alterutrum*, videlicet *Scriptura*. Imò etiam ipſa gloſſa habet ſenſum hæreticum, uti eſt hic, *quamdiu deeſt Scriptura, Traditio de fide eſſe non poteſt*, ob eandem rationem. Quidni & ipſe textus, ut ſtat, *defectu Scripturæ & Traditionis de fide eſſe non poteſt*, cum de fide ſit, *Traditiones*, de quibus Tridentinum *ſeſ.* 4. de Scripturis Canonicis, *eſſe de fide* abſque Scriptura, ac per conſequens, *Myſterium Immaculatæ Conceptionis B. Virginis ex Traditione Apoſtolica poſſe eſſe de fide*, licèt deeſſet Scriptura.

269. Contra 4 Pietas *ſententiæ* aſſerentis *Myſterium Immaculatæ Conceptionis B. V.* non excludit *pietatem* definitionis Concilii Baſileënſis, allatæ ſuprà *n.* 145. licèt excludat *de fide certitudinem*, eo quod illegitimum fuerit: ergo eſt contra iſtius ſententiæ *pietatem & favorem*, ſcribere *Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, defectu Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe non poſſe*, cum Baſileënſe Concilium Generale, quod veneratur D. Buſcumius, ut *ibidem* vidimus, quantum de ſe potuit, illud de fide credendum definierit.

270. Secundò: Bulla dicit: *Sanè vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam Pietas, ſentientium, ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus, fuiſſe ſpeciali Dei gratiâ & privilegio, intuitu meritorum Ieſu Chriſti, ejus Filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis*

*ginalis præſervatam, immunem, atque in hoc ſenſu ejus Conceptionis feſtivitatem ſolemni ritu colentium & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujuſmodi cultus, poſt editas à felicis Recordationis Sixto Papa IV. Prædeceſſore noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas ſacrum Concilium Trid innovavit, atque obſervari mandavit. Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religioſum Ordinem, & Confraternitates, at conceſſas ab iiſdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam fermè omnes Catholici eam amplectantur*: Atqui impium videtur, aſſerere, iſta omnia habere objectum, quod *non poteſt eſſe de fide*: ergo impium conſequenter eſt, aſſerere *myſterium* (quod eſt iſtorum omnium objectum) *Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis non poſſe, eſſe de fide*: Ergo D. Buſcumius, hoc aſſerendo, impietate quâdam impegit *in Bullam, & piam ſententiam*, & *pœnas* in Bulla latas incurrit.

271. *Tertiò*: Bulla ſubdit: *Pergunt aliqui contrariæ opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones, tùm publicè præfatam ſententiam, aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & feſto ſecundum illam præſtitum, ità interpretari, ut fruſtrentur; imò Eccleſiam Romanam huic ſententiæ, & cultui juxta illam B. Virgini exhibito favere negant, pios Chriſti fideles è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando*: Atqui ad iſta nihil efficaciùs doctrinâ D. Buſcumii ad *Regulam* 7. ſcribentis: *hoc modo demonſtratur, non eſſe fide Divinâ credendas*, &c. *Canonizationes Sanctorum. Item deciſiones, & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti. Item ea, quæ permittuntur per Eccleſiam à fidelibus piè credi, probari tamen non poſſunt, contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, quod quidem ob multas rationes ſuſtinetur ut verum; ſed defectu Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe non poteſt.* Ad Regulam 8. *alii addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quandò ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit.* Et infrà: *Intereà dum hoc ſæculum nequam (uti olim in mari periclitantes diſcipuli,) dormiente Domino, permittitur agitari, valdè cautè & circumſpectè proſpiciendum eſt, nè temerè à veritatis via aberremus in examinanda & colligenda Traditione, & nihil ut traditum admittamus ſinè examine, juxta modos ſupradictos*: Ergo D. Buſcumius, hæc omnia connexa aſſerendo, impegit in *Bullam, piam ſententiam*, & *pœnas* in Bulla latas incurrit.

272. Probatur minor pro prima parte Quia *cultus, ſolemnitas, feſtum, Ordo religioſus, Confraternitates, indulgentia de Myſterio Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis* ferè paſſu pari procedunt cum *Canonizatione Sanctorum*: atqui in minori *pro* 1. *parte* D. Buſcumius docet, *Canonizationes Sanctorum demonſtrari, non eſſe de fide*, ac ſic in illis poſſe Summum Pontificem errare; ergo à fortiori & in iſtis: ac proindè ſicuti per ipſius doctrinam, mirùm non eſſet, ſi Summus Pontifex erraret in *Canonizatione Sanctorum*; ita nec per conſequens, ſi in omnibus iſtis: atqui ad iſta nihil hac doctrinâ efficacius, ut patet: ergo &c.

273 Probatur minor pro ſecunda parte: Quia *Myſterium Immaculatæ Conceptio-*

*ceptionis B. Virginis* ſpectat *ad quæſtionem facti*, & illius *cultus, ſolemnitas*, &c. præſupponunt *quæſtionem iſtam facti*: atqui in minori *pro 2. parte* D. Buſcumius docet, *demonſtrari, non eſſe de fide, aut fide Divina credendas deciſiones & definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, de quæſtionibus facti*, ac ſic in his *Eccleſiam, etiam in Concilio Generali*, errare poſſe: ergo conſequenter in iſtis: ac proindè, per ipſius doctrinam, mirum non eſſet, ſi Concilium Generale, & à fortiori per ipſum ſolus Pontifex, erraret *in quæſtionibus facti*, qualis illa eſt, & quam iſta præſupponunt: ad prædicta autem nihil hâc doctrina efficacius, ut patet: ergo &c.

274. Probatur minor pro tertia parte: *Favor à Romanis Pontificibus cultui & feſto Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis præſtitus fruſtratur, piæ ſententiæ & cultui Romanam Eccleſiam favere, negatur, iique fideles à ſua quaſi pacifica poſſeſſione deturbantur*, dum aſſeritur, *ea, quæ permittuntur per Eccleſiam à fidelibus piè credi, probari tamen non poſſe, contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis.* Atqui hoc aſſerit D. Buſcumius *pro 3. parte*: Ergo, &c.

275. Probatur minor pro quarta parte: Quia nihil efficaciùs ad iſta, quàm aſſerere, *cultu, ſolemnitate. Officio Canonico, feſto, Ordine Religioſo, Confraternitatibus & Indulgentiis de Myſterio Immaculatæ Conceptionis, hoc ſæculum nequam (uti olim in mari periclitantes diſcipuli) dormiente Domino, permitti agitari*: atqui D. Buſcumius id virtualiter ibi aſſerit *pro 4. parte*, dicens: *dum hoc ſæculum nequam (uti olim in mari periclitantes diſcipuli,) dormiente Domino, permittitur agitari, valdè*, &c. Ergo, &c.

276. Probatur hæc minor; quia hæc ſcribit propter illa, in quibus non intervenit Eccleſiæ infallibilitas uno ex tribus modis à ſe aſſignatis, quàm in iſtis uno illorum modo intervenire negare debet.

277. Imprimis: quia negat, *Myſterium Immaculatæ Conceptionis poſſe, eſſe de fide*, ut vidimus, *n.* 271. poſſe autem infallibile infallibitate Eccleſiæ uno ex tribus modis ab eo *ad Regulam* 8. aſſignatis, *eſſe de fide*, imò *eſſe actu de fide*, patet ex eo, quod iſtis modis æquè tribuat *Eccleſiæ infallibilitatem*, & de primo illorum dicat, *ſunt enim definitiones Conciliorum adeò certæ, quàm ipſum Evangelium.*

278. Deindè: quia, ſi vellet in iſtis intervenire Eccleſiæ infallibilitatem uno illorum modo, *ad Regulam* 8. non ſcriberet: *Alii addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis. quandò ſolus Pontifex, abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit: ſed quia illum non admittunt graviſsimi Pontifices, & contrarium ſenſerunt Patres Concilii Baſileënſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum prætleribimus, hîc ſolùm aſſerentes ea, quæ certa ſunt, & extra omnem controverſiam.* Quia iſta, *cultus, ſolemnitas*, &c. ad hunc *quartum modum* ſpectant.

279 Denique: quia *cultus, ſolemnitas*, &c. ſunt *à ſolo Summo Pontifice*, &c. ad ejus ſenſum; & ſi vellet D. Buſcumius, quod eo modo, quo à Summo Ponti-

fice

ſicc ſunt, habere Eccleſiæ infallibilitatem uno ex tribus modis à ſe aſſignatis, non ſolùm iſta eſſent Eccleſiæ infallibilitate infallibilia, ſed & tale eſſet *Myſterium Immaculatæ Conceptionis*, quod præſupponunt, & propter quod ſunt, quod negat, ut vidimus: imò etiam Sanctorum Canonizationes, quæ Decreta Pontificia magis ſolemnia continent; quas tamen (& idem eſt de *Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, definitionibus de quæſtione facti*) ſub Eccleſiæ infallibilitate uno ex tribus modis à ſe aſſignatis non comprehendit.

280. Confirmatur: Quia nihil efficaciùs ad iſta, quàm aſſerere, *in cultu, ſolemnitate, Officio Canonico, feſto, Ordine Religioſo, Confraternitatibus & Indulgentiis de Myſterio Immaculatæ Conceptionis, valdè cautè & circumſpectè proſpiciendum eſſe; ne temerè à veritatis via aberremus in examinanda & colligenda Traditione, & nihil ut traditum admittamus ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſuprà dictos*: atqui D. Buſcumius hoc de iſtis, uti de Canonizationibus Sanctorum, de Eccleſiæ, etiam in Concilio Generali, deciſionibus de quæſtionibus facti, & Pontificis definitionibus, quandò ſolus, &c. aſſerit; nec magis de iſtis, quàm de his, eſt demonſtratio, juxta ejus modos ſupra dictos; ergo iſta ſunt, prout hæc, de quibus dicit, *& nihil traditum admittamus, ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſuprà dictos.*

281. Undè manifeſtum eſt ex dictis à *n.* 271. vix de ullo clariùs, & veriùs, verificari poſſe verba Bullæ, relata *ibidem* n. 271. *pergunt aliqui contrariæ opinionis*, &c. quàm de D. Buſcumio, cum nolit, *Myſterium Immaculatæ Conceptionis poſſe, eſſe de fide*, & omnia in ejus favorem Pontificum Decreta velit, *ut dubia præteriri*, ac totius Bullæ Alexandri VII eludat, & tollat vigòrem.

282. *Quartò*: Bulla dicit: *& inſuper omnes & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu decreta ità pergunt interpretari, ut favore per illas dictæ ſententiæ, & feſto ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur.* Atqui, ut patet à *n.* 271. hucuſque, D. Buſcumius *præfatas Conſtitutiones*, & hanc ipſam Alexandri VII. *ità pergit interpretari, ut favore*, &c. Ergò, &c.

283. *Quintò*: Bulla ſubdit: *vel qui hanc eamdem ſententiam, feſtum ſeu cultum in diſputationem revocare*: Atqui illa omnia *in diſputationem revocat*, ut vidimus ſtatim à *n.* 275. *ad n.* 280. & *Regulas* ſcribit, ut ab omnibus non admittantur; non ſolùm per hæc verba, *& nihil ut traditum admittamus ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſuprà dictos*; ſed & per ſuas pleraſque *Regulas*, ut patet ex earum *Examinibus* toto hoc *Opuſculo* præmiſſis.

284. *Sextò*: Immediatè addit: *aut contra ea quomodocumque modo, directè vel indirectè, aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, &c. ſcripto vel voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quidquid determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint, pœnas*, &c. Atqui contra eam diſputat, Diſcipulos inſtruit, determinat ipſis *valdè cautè & circumſpectè proſpiciendum, nè in ea temerè à veritatis via aberrent in examinanda & colligenda traditione*, & eam *ut traditam non admittant ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſuprà allatos*, quos oſtendi

oſtendi ſuprà à *n.* 181. ad 226. ipſius ſenſu eſſe erroneos: & ſub prætextu defi-nibilitatis dicit, ut vidimus n. 271. *probari tamen non poſſunt contineri in Scriptura vel Traditione, v. g. Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, quod quidem ob multas rationes* (quaſi verò Scriptura, ſaltèm obſcura, Traditio, & authoritates robuſtiſſimæ non ſubeſſent) *ſuſtinetur ut verum: ſed defectu Scripturæ & Traditionis, de fide eſſe non poteſt*; ideoque *de illa, illius cultu, feſto*, &c. ut ſupra num. 271. intelligi poteſt, ſcripſiſſe ad Regulam 8. *Intereà, dum hoc ſæculum nequam (uti olim in mari periclitantes diſcipuli) dormiente Domino, permittitur agitari, valdè cautè & circumſpectè proſpiciendum eſt, ne temerè à veritatis via aberremus in examinanda & colligenda Traditione, & nihil ut traditum admittamus ſine examine & demonſtratione, juxta modos ſuprà dictos.*

285. Vide inſuper ipſius *Regulas n.* 1. *&* 2. relatas, ac illarum confirmationem *Defenſionis* earum pag. 28. ubi ſic: *Cum enim Tyroni Theologo præſcriberem per primam Regulam*, ut, ne erret, aut ſeducatur, abſque præjudiciis indeterminatus hæreat inter partes Scholaſticorum, donec ex ipſis principiis convincatur de veritate. *Non poteram tamquam certum & de fide determinatum proponere, quod ex Theologicis principiis necdum conſtabat, eſſe infallibiliter definitum.* Poterat enim, ſaltem abſtinere ab eo, quod ſcriberet ad Regulam 8. *alii addunt* &c. Ad Regulam 7. verò: *Ea, quæ permittuntur* &c. quorum prius eſt ſatis confutatum ſuprà *Exam. IV. q.* 1. 2. *&* 3. Uti & poſterius hîc tamquam ipsâ Bullâ Alexandri VII. prohibitum.

286. Iſta autem, & quam plurima alia, quæ ex D. Buſcumii *Inſtructione ad Tyronem Theologum* & ejus *Defenſione* inferre poſſum, & deberem, cum ſaniora non ſit veritus, appellare *ſententias pernicioſiſsimas*, ita diſplicent, ut Examen abrumpat diſplicentia, quæ indubiè medullitùs invaſit ejus Magiſtros, fautores, & Patronos, qui nolebant ſua ſecreta ſic evulgari, ſed occultari, donec tritico ſuperercreviſſent zizania: ſed hæc miſericors Deus, per *Libellorum* D. Buſcumii inopinatam evulgationem, ſpeciali ſuâ providentiâ impedire voluit.

287. Bellè quidem & accommodè in D. Buſcumium retorquere potui, & valeo, ſua omnia Satyrica in me & cæteros Scholaſticos, tacito nomine, ſcommata, quibus ſuam *ad Tyronem Theologum Inſtructionem* fœdavit ubique, & pejoravit, uti ſatis ex præmiſſis videre eſt: ſed hæc nihil ad Doctrinam Chriſtianam & Catholicam, quam unicè quæro, enixè rogans, ut D. Buſcumius audiat, & mecum revereatur Auguſtini *lib. de dono perſeverantiæ cap.* 16. monitum: *Dicatur ergo verum, maximè ubi aliqua quæſtio, ut dicatur, impellit, & capiant, qui poſſunt, nè fortè cum tacetur propter eos, qui capere non poſſunt, non ſolum veritate fraudentur, verum etiam falſitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falſitas, poſſunt.* Et veræ doctrinæ pro *Reſponſis* det ſecuritatem, non verò ante ſe in Antipapiſtiæ ſoveam collapſorum temeritatem: ſi quid verò nimii zeli irrepſerit, excuſare dignetur; quia veræ fidei eſt, qui nimius eſſe non poteſt.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE